SC.SUP.23.Pl.4.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
32
10 B
29
FONDO EBORENSE

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

AUCTORE

IOANNE BAPTISTA
DALL' OCCA

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE COLLEGIATO, AC BONONIÆ IN PATRIA UNIVERSITATE PUBLICO PROFESSORE, NEC NON PERINSIGNIS COLLEGIATÆ S. PETRONII CANONICO.

EDITIO ALTERA

TOMI II. PARS I.

LUCÆ MDCCLXXXIX.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

TRACTATUS DE ANGELIS.

TRactatum hunc in tres dissertationes divido. In prima Angelos considerabo quoad naturalia, in secunda quoad supernaturalia: in tertia agam de peccato & pœnis Dæmonum.

DISSERTATIO I.

De Angelis ſpectatis quoad naturalia.

QUoniam Angelos consideraturus quoad naturalia, de illorum creatione plura sum dicturus, quorum intelligentia nota supponit quæ spectant ad primam universi hujus productionem, ideo hæc præstat præmittere, qua occasione plura etiam afferam de creatione in genere, adeoque ad Deum ut creatorem (sub quo respectu hoc & sequenti Tractatu in nobilissimis ipsius creaturis Angelo & Homine consideratur) pertinentia. Dissertationem itaque hanc in quatuor capita divido. In 1. agam de universi hujus productione, in 2. de existentia Angelorum, in 3. de illorum natura, divisionibus ac numero, in 4. de eorundem affectionibus naturalibus.

CAPUT PRIMUM.

De productione hujus Universi.

AGam hìc 1. de creatione in genere: 2. de operibus, quæ a Deo in prima creatione facta dicuntur. (a)

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. celebrem fuisse multorum antiquorum sententiam, quod mundus fuerit æternus.

Noto 2. plures alios ex antiquis Gentilibus Philosophis materiam Deo coæternam ab ipso non creatam existimasse. Hic error a priore diversus est. Posset enim fortasse propugnari æternitas mundi etiam negata existentia materiæ æternæ increatæ, & potest hæc defendi illa negata; fac enim mundum hunc fuisse ab æterno a Deo creatum, quod non implicare docent plures Philosophi catholici (jure ne an injuria ipsi viderint), en existentia mundi æterna absque materia increata. Fac è contra extitisse ab æterno hanc materiam, non tamen ideo debet necessario admitti existentia æterna mundi, cum ad mundum constituendum non sufficiat illius materia, sed requiratur præterea determinata illius dispositio, quæ potuit solum in tempore produci: & en materia æterna, quin sit æternus mundus. Errorem materiæ æternæ a Deo increatæ aliqui etiam Hæretici adoptarunt, ut Marcion & Hermogenes: imo eundem varie expositum adoptant etiam plures moderni Deistæ.

Noto 3. inter Hæreticos creationem concedentes factam in tempore plures illam Deo non tribuisse. Inter hos Simon Magus 1. Ecclesiæ sæculo docuit, mundum hunc non a Deo, sed ab An-

(a) *Genes.* 1.

Angelis fuisse conditum. Errorem hunc alii Hæretici ejusdem sæculi secuti sunt, ut Menander, Saturninus, Nicolaitæ, Carpocratiani & Cerinthiani. Aliter etiam circa hoc errarunt Manichæi duo admittentes principia, unum bonum, alterum malum, & asserentes alias res a principio bono esse productas, alias a malo: quem errorem ex parte secuti sunt alii Hæretici 4. sæculi, videlicet Gnostici & Priscillianistæ, qui carnis formationem malignis Spiritibus tribuebant.

Noto 4. *creationis* nomine intelligi eductionem rei ex nihilo. Hæc potest esse vel *mediata*, vel *immediata*. Prima est cum res producitur ex aliquo præexistente, quod tamen fuit ex nihilo eductum: secunda cum res immediate ex nihilo præexistente educitur.

Noto tandem me hìc non sumere ex professo examinandum, utrum mundus fuerit æternus; hoc enim suppono agitatum etiam apud Philosophos: ex dicendis tamen apparebit commentitiam esse hanc æternitatem. His positis sit

Assertio. *Omnia præter Deum ab ipso de nihilo vel immediate vel mediate educta sunt*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. I. dicitur (a): *In principio creavit Deus cælum & terram*: rursus (b): *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul:* rursus (c): *Ipse mandavit & creata sunt*: & mater septem fratrum Machabæorum juniori hæc dicebat (d): *Peto nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia: quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus*. Ergo &c. II. dicit Deus (e) *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum:* rursus dicitur

(a) *Gen.* 1. (b) *Eccl.* 18. (c) *Psalm.* 148.
(d) 2. *Machab.* 7. (e) *Isai.* 44.

(a): *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: rursus (b). *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. His positis sic. Si Deus non omnia fecisset ex nihilo modo supra explicato, jam aliquid fecisset ex alio a se non facto; non enim alius modus potest excogitari rem aliquam faciendi, nisi vel illam immediate creando, vel condendo ex materia antea a se facta, vel condendo ex aliquo ante a se non facto: deberet ergo admitti aliquid a Deo non factum. Hoc non ex locis adductis, ex quibus constat Deum fecisse omnia. Ergo &c.

Prob. ex Symbolis Fidei. In Apostolico habetur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ*: & in Constantinopolitano: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. ait (c): *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus .... qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis, I. ibi dicitur Sapientia æterna creata juxta illud (d): *Ab initio & ante secula creata sum*: & tamen hoc non potest intelligi de eductione rei ex nihilo: rursus dicimur (e) *creati in Christo in operibus bonis*, & tamen neque hoc potest intelligi de rei eductione ex nihilo. Adde quod vox hebraica, quæ vertitur *creatio*, juxta Interpretes indifferens est ad denotandam vel eductionem rei ex nihilo, vel illius formationem ex præcedenti subjecto. Ergo &c.

II.

(a) *Joann* 1.
(b) *Rom.* 11.
(c) *Cap* Firmiter.
(d) *Eccl.* 24.
(e) *Ephes.* 2.

II. Scripturæ asserunt Deum non ex nihilo, sed ex materia præexistente mundum eduxisse; dicitur enim (a): *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa*. Ergo &c.

℞. ad I. non semper equidem verbo *creare* denotari productionem rei ex nihilo: sed si aliud quandoque denotatur, id tantum denotatur improprie, & sic sumendum esse colligitur ex circumstantiis, ut colligitur in casibus adductis in objectione. At cum de rerum productione fit sermo, non est, cur verbum *creare* non sumatur in propria significatione, præsertim cum ex probatis si ita non sumeretur, alia Scripturæ loca falsificarentur.

Ad II. ℞. Ibi non fieri mentionem de prima mundi formatione, sed de secunda, idest de dispositione, quam dedit Deus materiæ a se antecedenter creatæ. Hanc Scriptura ideo dicit *invisam*, quia, antequam a Deo modificaretur, non erat digna, quæ videretur, utpote quæ erat confusa & informis uno verbo *chaos*. Audiatur S. Augustinus (b). *Prima materia facta est confusa & informis, unde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei: Qui fecisti mundum de materia informi, quod aliqui codices habent: de materia invisa. Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. vulgatum est axioma *ex nihilo nihil*. Ergo nulla res potest educi ex nihilo.

II. Si res educeretur ex nihilo, posset asseri, quod nihil accipiat esse, quod nihil mutetur. Hæc autem sunt absurda; nihil enim nec agendi,

---

(a) *Sap*. 11.
(b) *Lib*, 1. *de Genes. contra Manich. cap*. 5. *&* 6.

nec patiendi est capax: ergo nec recipiendi esse nec aliquam mutationem subeundi. Ergo &c.

℟. ad I. axioma illud esse verum, cum agitur de agente creato; hoc enim nihil potest facere ex nihilo, ut experientia patet. At agens increatum non est hujusmodi; hoc enim (a) *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*. Ergo &c.

Ad II. ℟. quod, cum res creatur, tunc nihil fit hoc sensu, quod cessat esse nihil, & evadit aliquid: & pariter mutatur non mutatione propria importante, ut res de uno esse actuali transeat ad aliud actuale esse; antea enim, ut supponitur, nullum habebat esse actuale, sed mutatione impropria importante, ut res transeat de non esse actuali ad esse actuale, quod sane non implicat. Nihil porro agendi aut patiendi non est capax, sed fieri vel mutari modo dicto non est proprie agere aut pati: non agere, ut de se patet: non pati, quia passio importat receptionem actionis in aliquo subjecto, & hoc subjectum, ut hic supponitur, non existit. Est ergo passio late sumpta importans, ut res mere possibilis, idest non existens, recipiat existentiam, cujus receptionis adeoque passionis est utique capax. Ergo &c.

Ex dictis patet falsum esse mundum ab Angelis fuisse conditum; quamvis enim fortasse potuisset illis uti Deus tanquam ministris in mundi creatione, cum tamen nunquam dicatur in Scripturis illum sic usum fuisse, cum semper creatio Deo tribuatur, cum insuper aliquando etiam expresse dicatur mundum a Deo solo factum esse, ut (b) apud Isaiam supra; hinc dicendum Deo soli creationem esse tribuendam.

AR-

(a) *Rom*. 4. (b) *Cap*. 44.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sex dierum spatio mundum hunc conditum fuisse docet Scriptura (a): sed hic tamen exurgit difficultas, an dies illi sint intelligendi proprie, an metaphorice.

Aliqui Patres docent Deum unico istanti omnia condidisse, adeoque sex dictos dies intelligi volunt metaphorice. Inter hos celebriores sunt Clemens Alexandrinus, S. Isidorus Pelusiota, & S. Augustinus. Hic (b) dies explicat pro cognitione, quam Angeli de rebus aspectabilibus habuerunt: scilicet docet Angelos sex cognitionibus assecutos esse totam mundi fabricam, quæ tamen unico temporis momento perfecta est. Prima cognitio omnia eis repræsentavit, quæ in Genesi facta dicuntur prima die, secunda quæ facta dicuntur secunda die, & sic de aliis. Has autem cognitiones ut habitas de rebus in se ipsis dicit *vespertinas*, ut habitas de rebus in Verbo dicit *matutinas*, sicque explicat illud *vespere* & *mane*, quod in Scriptura legitur. Alibi tamen aliter visus est docuisse: sed quidquid sit de hoc, certum est priorem Augustini sententiam a plerisque magnæ notæ Theologis etiam nunc defendi. Ipse cum plerisque aliis salva reverentia magno Augustino debita censeo probabiliorem esse oppositam. Sit ergo

Assertio. *Probabilius sex successive diebus proprie & litteraliter acceptis Deus mundum creavit.*

Prob. ex Scripturis. Permisit Deus Hebræis (c), ut sex diebus opera servilia exercerent, ab illis vero die septimo, idest sabbatho voluit, ut abstinerent, hanc adducens rationem: *Sex diebus fe-*

(a) *Gen.* 1,
(b) *De Civit. Dei Lib.* 11. *Cap.* 7. & 29.
(c) *Exod.* 20.

fecit Dominus cœlum & terram .... & requievit in die septimo. Hæc autem ratio indicat dies creationis sumendos esse litteraliter, ut litteraliter accipitur labor sex diebus permissus, & prohibitus die septimo. Ergo &c.

Prob. ex regula, quam tradit Augustinus, scilicet Scripturæ verba intelligenda esse litteraliter, nisi aliquid obstet. Cum ergo litteraliter dies, de quibus Genesis, indicent dies naturales, & nullum sic eos intelligendo sequatur incoveniens, ut probabitur solutione objectionum, patet illos dies pro naturalibus esse accipiendos.

Prob. ratione. Descripsit Moyses creationem mundi præcipue pro Hebræis, qui erant valde rudes. Quis autem credat illum ita scribentem omisisse modum planissimum loquendi, qualis erat, si dixisset mundum a Deo unico instanti factum fuisse, si revera ita fuisset factus, & adhibuisse modum improprium & metaphoricum, quique facillime in errorem Hebræos induxisset? Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Hæ testantur Deum omnia simul creasse; dicitur enim: (a) *Istæ sunt generationes cœli & terræ ..... in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*. Hic dicuntur omnia facta in die. Non ergo sex diebus.

II. Dicitur: (b) *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*. Ergo &c.

III. Dei opera dicuntur perfecta: (c) *Dei perfecta sunt opera*. Statim ergo, ac res sunt formatæ, cum essent opera Dei, erant perfectæ, & consequenter non indigebant plurium dierum spatio perfici.

IV.

(a) *Gen.* 2. (b) *Eccle.* 18.
(c) *Deut.* 32.

IV. Implicat mundi creatio, ut a nobis intelligitur; dicitur enim (a) primis tribus diebus divisam esse lucem a tenebris & diem a nocte. At ista divisio erat tunc impossibilis; sol enim hujus divisionis causa quarta solum die dicitur creatus. Quomodo ergo stabant ante illum lux & tenebræ, dies ac nox? Ergo &c.

Ad I. responderi potest primo illud *in die* idem esse ac *in tempore* juxta doctrinam Augustini dicentis (b): *Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore, nemo, qui illas litteras quamlibet negligenter legerit, nescit.* Ita autem accepto die corruit vis objectionis. Responderi potest secundo cum S. Thoma revera una die Deum creasse cœlum & terram & omne virgultum agri, antequam oriretur, quia revera & Empyreum & hanc terræ molem prima die creavit, & dedit terræ virtutem producendi plantas, quæ virtus ad actum eodem Deo jubente tertia die deducta est. Hoc autem tantum adducto testimonio importatur.

Ad II. ℟. Textum dupliciter posse exponi, primo dicendo particulam *simul* non semper denotare identitatem temporis, sed aliquando etiam denotare prædicatum æqualiter duobus convenire, ut cum dicitur (c): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, non est sensus eodem tempore omnes factos esse inutiles, sed de omnibus æqualiter verificari, quod inutiles facti sint, & cum dicitur (d): *Simul insipiens & stultus peribunt*, non est sensus stultum & insipientem eodem tempore perituros, sed eos æqualiter perituros. Ita ergo a pari omnia dicuntur simul creata, quia hoc prædicatum *creatum* de omnibus dicitur. Secundo exponi potest dicendo omnia (saltem si de rebus corporeis loquamur) esse a Deo etiam simul

(a) *Gen.* 1.
(b) *Lib.* 20. *de Civ. Dei cap.* 1.
(c) *Psalm.* 13. (d) *Psalm.* 48.

tempore creata quoad substantiam, quamvis non quoad speciem; Deus enim prima die creavit materiam, ex qua postea varias species rerum sequentibus diebus efformavit.

Ad III. ℟. sensum loci esse omnia opera Dei vitio carere, non omnia esse ita perfecta, ut non possint aut indigeant ulterius perfici. Certe sunt opera Dei omnia viventia, quæ tamen imperfecta nascuntur, & postea ad debitam perfectionem crescente ætate deveniunt. Poterat ergo proportionaliter ita imperfecta esse materia, quam Deus primo formavit, & quam postea ulterius diebus sequentibus perfecit.

Ad IV. ℟. divisionem diei ac noctis, lucis & tenebrarum ante creationem solis factam ope lucis, quam Deus prima die condidit, quæque vel totum mundum modo illuminavit, modo non, vel modo illuminavit unum, modo alterum hemisphærium, sicque dies induxit ac noctes. Hanc autem lucem Deus quarta die in sole & stellis tanquam in fontibus constituit, ex quibus per mundum diffunderetur.

Obj. ex ratione. Creatio successiva dedecet Deum; nonne enim videtur incongruum illi, qui omnia potest temporis momento producere, ut plures dies insumat in iis producendis? Ergo &c.

℟. Deum potuisse quidem omnia condere unico instanti, at noluisse. Quis autem a Deo rationem exigat, quare sic fecerit? Potuisset etiam Deus omnes simul homines condere, & tamen noluit, nec proinde infirmatur omnipotentia Dei. Ergo a pari &c.

Sed jam quid sex illis diebus fecerit Deus videndum. Hoc præstabitur exponendo verba, quibus in Genesi mundi fabrica describitur.

Dicitur ergo primo Deum *in principio* creasse cœlum & terram. Illud *in principio* potest intelligi quoad tempus, & significat cum Deus cœpit operari extra se, & potest intelligi quoad ordinem rerum productarum, & significat ante productionem aliarum rerum ab ipso Deo creata fuisse cœlum & terram. Multi etiam Patres illud *in prin-*

principio explicant *in Divino Verbo*. Per *cœlum & terram* plerique denotari volunt universitatem rerum saltem quoad materiam, ex qua sunt formatæ. Alii nomine *cœli* intelligunt solum empyreum, cum cœli, qui astris famulantur, solum secunda die sint creati, & nomine *terræ* ipsam terram elementarem, seu quam homines incolunt, quæ cum prima die esset tota aquis cooperta, & habitatoribus destituta, ac plantis & luce, dicitur *inanis & vacua*. Subditur *tenebras fuisse super faciem abyssi*, idest supra superficiem illius aquæ, quæ terram ambiebat; nomine enim *abyssi* venit magna multitudo aquarum. Porro *super aquas ferebatur Spiritus Dei*, quo nomine alii intelligunt aerem, alii talem spiritum, seu motum ipsis aquis communicatum, alii & præcipue antiqui Patres Spiritum S. Additur *factam fuisse lucem*, de qua supra, & *divisam fuisse a tenebris* modo supra explicato, sicque habita est divisio diei ac noctis, & ex die (considerata ut opponitur nocti, quo modo dicitur dies artificialis) & nocte facta est prima dies naturalis, quæ 24. horarum spatio comprehenditur, & correspondet nostræ diei Dominicæ.

Secunda die creavit Deus *firmamentum*. Probabilius hoc nomine venit spatium, quod a terra ad astra protenditur, repletum aere tum crassiore, qui terram ambit, tum tenuiore, qui supra crassiorem jacet. Hoc firmamentum dicitur factum *in medio aquarum*, quia veluti divisit aquas, quarum pars adhuc superficiem terræ occupavit, pars in vapores attenuata in sublime elata est, qua postea decidente terra irrigaretur; quod enim dicitur de aquis positis *super firmamentum* non est ita intelligendum, ut aquæ sint super sydera, sed ita ut sint in aere, qui terram ambit, quique juxta dicta infimam partem constituit firmamenti. Hoc autem firmamentum appellavit Deus *cœlum*, quo nomine communiter etiam apud nos locus sublimis aeris appellatur; cum enim illum intuemur, dicimur cœlum intueri.

Tertia die *congregavit Deus aquas* faciem terræ operientes *in locum unum*, & sic terræ superficies

cies *arida apparuit*. Congregatio hæc aquarum in locum unum probabilius facta est per hoc, quod terra, cujus superficies antea æqualis erat, deinde alicubi in montes elevaretur, & alibi in voragines deprimeretur, sicque aquæ in istas voragines defluxerint, & hæ dicta sunt *maria*. Dicuntur aquæ congregatæ in locum unum, vel quia fortasse omnia maria inter se communicant, vel quia, etsi inter se non communicent, loca, in quæ aquæ sunt congregatæ, sunt aquis proportionata, adeoque constituunt unum locum adequatum pro aquis. Siccata terra *jussit Deus, ut hæc produceret herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*, quod statim factum est.

Quarta die facta sunt *Astra* tum majora, tum minora ex officio & jugiter præstitura quod usque adhuc præstiterat lux a Deo prima die condita, scilicet *divisura diem & noctem, ac futura in signa, ac tempora, & dies, & annos*: dicuntur facta in signa, & tempora &c. non quod ex iis desumi possint certæ prædictiones futurorum eventuum liberorum, ut inaniter Astrologi judiciarii arbitrantur, sed quia ex ipsorum, & maxime solis motu fit distributio mensium, & annorum, & anni tempestatum &c. Sol & Luna dicuntur *luminaria magna*, non quod omnibus cœlestibus luminaribus sint majora, sed quod omnibus aliis amplora nobis videantur.

Quinta die jussit Deus, ut ex *aquis producerentur pisces* nomine *reptilis* denotati, quia in aquis reptant fere ut serpentes in terra. Ex aquis etiam voluit ut prodirent *aves*. Produxit igitur aqua omne genus piscium, & inter hos aliquos eximiæ magnitudinis, quos *cete* appellat Scriptura, & insuper omne volatile, quibus omnibus Deus benedixit jubens, ut crescerent & multiplicarentur.

Sexta tandem die creata sunt a Deo omnia terrestria animalia, quæ scilicet terram habitant. Horum omnium species creavit Deus exceptis fortasse hybridibus, seu animalibus, quæ ex diversarum specierum commixtione generantur, ut mu-

lus

hus, qui ex equa & asino, leopardus, qui ex leæna & pardo & his similia. His etiam benedixit Deus, eaque jussit crescere, & multiplicari: post quæ ad creationem hominis ventum est. De hac in sequenti Tractatu. Interim adverto Deum omnes suas creaturas expleta illarum creatione laudasse, in iisque sibimetipsi placuisse, quod per illa verba indicatur, quæ pluries repetuntur (a): *Et vidit Deus quod esset bonum*, & quibus tandem clauditur caput, dum de omnibus generatim dicitur: *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

CAPUT SECUNDUM.

De existentia Angelorum.

AGam hic 1. de nomine & definitione Angeli: 2. probabo Angelos existere: 3. examinabo quandonam Angeli cœperint existere, sive fuerint creati, 4. quo loco existere cœperint, seu creati fuerint.

ARTICULUS PRIMUS.

Hoc nomen *Angelus* potest sumi *late*, & *stricte*. Late significat quamcumque substantiam spiritualem creatam & completam: stricte significat illas solum substantias ex supradictis, quæ in infimo ordine continentur ex novem illis, qui a Theologis recensentur juxta inferius explicanda. Seraphim ergo E G., quæ communiter in supremo ordine constituuntur, erunt Angeli latæ, non stricte. De Angelis priori modo acceptis, sive de Angelis generatim est præcipue hic sermo.

Definitur ergo Angelus, ut supra etiam innui, *substantia creata spiritualis & completa*. Per illud *creata* distinguuntur Angeli a Deo, per aliud *spi-*

(a) *Genes.* 1.

spiritualis distinguuntur a corporibus, per ultimum distinguuntur ab animabus hominum, quæ sunt quidem substantiæ spirituales & creatæ, sed incompletæ, scilicet a Deo destinatæ, ut cum corpore constituant unum tertium nempe hominem.

Nomen *Angelus* non est naturæ, sed officii; *Angelus* enim idem sonat ac *missus* sive *nuncius*, unde rigorose supradictæ substantiæ sunt semper spiritus, sed non semper sunt Angeli, idest sunt tantum Angeli, cum mittuntur. Ita S. Augustinus inquiens (a): *Esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt, & cum spiritus sunt, non sunt Angeli, cum mittuntur fiunt Angeli; Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est. Ex eo quod est, spiritus est, ex eo quod agit, Angelus est*. Usus tamen invaluit, ut nomen Angeli ad denotandam quamcumque naturam spiritualem creatam & completam adhiberetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præter aliquos Philosophos substantias solum corporeas admittentes, negarunt etiam existentiam Angelorum Sadducæi, de quibus Scriptura (b): *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*. Contra hos sit

Assertio. *Existunt Angeli*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis (c); pluries enim in iis dicitur illos hominibus apparuisse, ut cum dicuntur apparuisse Abraham, Lot, Agar, & Tobiæ: pluries etiam de illis alia occasione fit mentio. Ergo &c.

Prob.

(a) *In Psalm.* 103. *Serm.* 1. *n.* 15.
(b) *Act.* 23.
(c) *Gen.* 18. 19. 21. *Tobi.* 5. *Exod.* 14. 23.

Prob. ex Conciliis Lateranense IV. inquit (a): *Deus . . . simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus, inter quos sufficiat Augustinus, cujus verba supra retuli.

Ratione etiam id nituntur probare Theologi, & I. ex Magorum præstigiis, ex oraculis Idolorum, ex mirabilibus, quæ vel dicunt, vel faciunt energumeni; hæc enim a Deo non possunt fieri, cum sint moraliter mala, nec etiam fieri possunt viribus immediatorum agentium. Admittendæ igitur sunt substantiæ spirituales & invisibiles, quorum ope hi effectus producantur. II. ex perfectione universi, quæ exigit, ut sicuti quædam dantur creaturæ omnino materiales, ut saxa, plantæ &c. quædam partim materiales, partim spirituales, ut homines, sic quædam dentur omnino spirituales ut Angeli. III. ratione naturali id probari posse colligitur a posteriori; aliqui enim Gentiles, quibus sane ignota erat revelatio, Angelorum mentionem fecerunt, ut Plato, Aristoteles &c. Ergo &c.

Rationes tamen istæ, utcumque probabiles sint, demonstrativæ sane non sunt.

Non prima; nam, licet ex illa probetur aliquam admittendam causam præter Deum & homines, non tamen potest demonstrari hanc necessario esse debere Angelum. Cur enim non poterunt dictos effectus præstare vel animæ a corporibus separatæ, vel natura & facultas quædam præstantior, quam potest Deus singulis rebus impertiri? Ut interim omittam quod plura dantur mirabilia, quæ nobis videntur excedere vires naturales, nec tamen excedunt. Non secunda; non enim evidenter ostendi-

(a) *Cap.* Firmiter.

ditur necesse fuisse, ut mundus ita a Deo conderetur, ut de facto conditus est. Non tertia; si enim aliqui Gentiles Angelorum mentionem fecerunt, id vel ortum est ex quo probabiliter Angelos existere cognoverunt, vel quod Angelorum notitiam hauserunt ex libris Moysis, ut de Platone narrat S. Augustinus.

ARTICULUS TERTIUS.

Angelos non fuisse ab æterno certum est ex Lateranensi supra relato. De tempore, quo cœperunt existere controversia est inter Patres & Theologos. Docent alii Angelos fuisse conditos ante creationem mundi, idest rerum aspectabilium, alii simul cum mundo, alii post mundum conditum. Sed cum tertia hæc sententia minus aliis duabus celebris sit, & vix conciliari possit cum locis Scripturæ infra indicandis, quæ innunt Angelos extitisse cum aspectabilia Deus crearet, ideo hac dimissa ad examen duarum priorum accedo. Sit ergo

Assertio. *Probabilius Angeli non ante mundum, idest ante res aspectabiles, sed simul cum mundo creati fuerunt.*

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur (a): *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram & omnia, quæ in eis sunt.* Cum autem Angeli sint vel in cœlo vel in terra, debent profecto dici facti intra sex illos dies.

Prob. ex supra relato Lateranensi, quo docemur Deum simul ab initio temporis, adeoque in principio mundi & Angelos & res corporeas creasse. Et licet aliquando particula *simul* non referatur ad tempus, hic tamen refertur, ut patet ex particula *deinde*, quæ subditur & quæ significat posterioritatem temporis; hæc enim ostendit superiorem par-

(a) *Exod.* 20.

particulam *simul* ad simultatem temporis referri. Præterquamquod id etiam ostendit illud *ab initio temporis*.

Obj. ex Scripturis. I. dicitur (a): *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ . . . . cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* his enim innuitur Angelos, qui per filios Dei denotantur, imo expresse Angeli a 70. vocantur, Deum in creatione mundi laudavisse, adeoque mundo præextitisse.

II. *Behemot* (b), idest Lucifer, dicitur principium viarum Domini adeoque ante omnia creatus.

III. Apostolus ait (c) *Deum promisisse vitam æternam ante tempora sæcularia.* Nulla autem excogitari potest creatura, cui Deus ante tempora sæcularia, idest ante mundi productionem promiserit vitam æternam, nisi Angeli. Ergo &c.

℟. ad I. posse in textu disjungi jubilationem Angelorum a creatione terræ, ita ut legatur hoc modo: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* quo posito, cum non dicatur Angelos jubilasse, quando Deus creavit terram, sed solum aliquando jubilasse, nihil ex textu contra assertionem. Adde quod jubilatio Angelorum connectitur cum laude Dei ab astris proveniente, quæ non potuit haberi nisi quarta die, qua astra creata sunt. Sed etsi dicantur Angeli jubilasse, cum Deus crearet terram; adhuc stat assertio; prima enim die, qua creata sunt cœlum & terra, creati sunt simul Angeli, qui statim ac sunt creati jubilarunt, unde jubilarunt cum Deus terram creavit.

Ad II. ℟. Illud *Behemot* litteraliter significare elephantem, qui ideo dicitur principium viarum Do-

(a) *Job.* 38. (b) *Job.* 40.
(c) *Tit.* I.

Domini, quia inter terrestria animalia præcipuum est. Elephantem autem litteraliter ibidem denotari patet ex contextu: *Ecce* dicitur, *Behemot, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus*. Quod si illud *Behemot* intelligere velimus pro Lucifero, ℟. illum dici principium viarum Domini, non ex quo ante mundum factus sit, sed quia, cum viæ Domini sint misericordia & justitia, hæ primo in Lucifero manifestatæ sunt: misericordia quidem, quia primus fuit ad finem supernaturalem misericorditer elevatus, justitia autem, quia primus fuit ad æterna supplicia justo Dei judicio addictus.

Ad III. ℟. illud *promisit* idem importare ac *decrevit*, ita locum adductum explicantibus Chrysostomo & Augustino. Consona est hæc explicatio illi dicto Apostoli (a): *Gratia Dei data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*; quomodo enim debet intelligi illud *data* nisi *decreta*? Ita in casu. Hoc autem optime stat, absquequo Angeli dicantur mundo præextitisse. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Circa locum pariter creationis Angelorum divisi sunt Theologi. Cum fere omnes consentiant, quod fuerunt creati in cœlo, alii tamen volunt illos creatos in cœlo sydereo, seu firmamento, alii in empyreo. Utraque sententia conjecturis tantum est nixa. Cæterum si statuatur Angelos fuisse creatos prima die, probabilior videtur posterior sententia; prima enim die solum existebat empyreum, cum firmamentum secunda solum die fuerit creatum.

Sed quidquid sit de hoc, videtur Angelos omnes in empyreo aliquando fuisse, & maxime cum ma-

(a) 2. *Tim.* 1.

mali peccaverunt, adeoque vel fuisse in empyreo creatos, vel post creationem illuc translatos; nam id innuit Scriptura dicens de Lucifero sub persona Regis Tyri (quod idem ob paritatem rationis de aliis quoque Angelis valet.) *Tu* (a) *Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei . . . ejeci te de monte Dei, & perdidi te o Cherub:* rursus (b): *Videbam satanam cadentem sicut fulgur de cœlo*: tandem (c): *Factum est prælium magnum in cœlo;* his enim innuitur Luciferum fuisse in monte sancto Dei & in cœlo. Porro nomine *montis Dei* & *cœli* antonomastice venire empyreum videtur. Ergo &c.

Contra hoc tamen duo videntur facere, I. illud (d): *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*, quæ verba, utpote a Diabolo peccante dicta, indicant ipsum, cum peccavit, non fuisse in empyreo, cum illuc cuperet ascendere. Et juxta hæc S. Hieronymus quærens cur Lucifer dixerit: in cœlum conscendam, cum in cœlo esset positus, respondet (e): *Sed quia legimus cœlum cœli Domino, cum esset in cœlo, idest in firmamento, in cœlum, ubi solium Domini est, cupiebat ascendere*. Ergo ex S. Hieronymo Lucifer non erat in empyreo, cum peccavit.

II. Quod in cœlo, in quo erat Lucifer peccans, factum est prælium juxta illud Apocalypsis (f) supra relatum. Ergo illud cœlum non erat empyreum, cum non nisi incongrue in empyreo possit prælium admitti. Sed

℟. Ad I. verba illa Scripturæ esse solum intelligenda mystice; si enim litteraliter acciperentur, sicuti ex quo Lucifer dixerit *ascendam in cœlum*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(a) *Ezech.* 28.
(b) *Luc.* 10.
(c) *Apoc.* 12.
(d) *Isai* 14.
(e) *Lib.* 6. *in cap.* 14. *Isa.*
(f) *Cap.* 12.

lum eruitur ipsum, cum peccavit, non fuisse in empyreo, ita ex quo dicatur infra: *ascendam super altitudinem nubium*, erui deberet ipsum, cum peccavit, fuisse infra nubes, adeoque neque in cœlo sydereo, quod tamen adversarii communius nolunt. Per illa ergo denotatur Luciferum appetisse similitudinem cum Deo: quod explicatur per subsequentia; inducitur enim Lucifer sic loquens: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, S. autem Hieronymus & ipse probabiliter metaphorice loquitur, vult scilicet Luciferum fuisse in firmamento constitutum, quia erat pulcher ut stella, sed illum præterea appetisse empyreum, idest similitudinem cum Deo. Et sane ante dixerat Christum hortatum fuisse discipulos ad colendam humilitatem, ut, *unde ille* (idest diabolus) *cecidit per superbiam, vos ascendatis per humilitatem*. Atqui Christus nedum volebat, ut discipuli ascenderent ad firmamentum, sed etiam ad empyreum. Ergo ex empyreo Diabolus etiam juxta Hieronymum dejectus est, adeoque &c. Quod si hæc responsio non arrideat, omittatur S. Doctorem fuisse in contraria sententia, sed illi possumus alios opponere Patres nobiscum sentientes.

Ad II. ℟. Angelos in empyreo primo constitutos fuisse quidem donatos beatitudine naturali, non autem supernaturali. Beatitudine inquam naturali fuere donati, quia omnia bona acceperunt, quorum erant naturaliter capaces, cum potentia perseverandi in tali statu, si voluissent. Imo talis beatitudo erat directe inamissibilis, & solum amissibilis indirecte, quatenus, cum esset destinata ut beatitudini supernaturali jungeretur, si hanc non obtinuissent, quod utique solum ipsorum culpa accidisset, & illa debebat amitti. Neque hanc beatitudinem impediebat aliquorum futurus casus; primo enim omnes sciebant se posse non cadere: secundo qui casuri erant, se casuros nesciebant,

un-

unde S. Augustinus, *Hanc*, inquit (a), *plenitudinem beatitudinis non habebant*, idest supernaturalem; *sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur*. Cum autem non habuerint Angeli ab initio beatitudinem supernaturalem, quæ sola illos reddidisset impeccabiles, patet potuisse etiam in empyreo haberi prælium, idest contrarietatem voluntatum, sicuti de facto habita est; alii enim in gratia persciterunt, alii peccaverunt, quod quidem in posterum futurum erat respectu illius loci impossibile, quia Deus ibi voluit in posterum manifestare faciem suam.

CAPUT TERTIUM.

De Angelorum natura, divisionibus, ac numero.

DIvisionem capitis titulus ipse ostendit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Angelorum natura varios se produnt antiqui Patres. Plerique illos corporeos existimarunt: alii illos dixerunt spirituales. Cum his sit

ASSERTIO. *Angeli sunt substantiæ omnino spirituales*.

Prob. ex Scripturis, quæ passim Angelos appellant spiritus, ut (b): *Omne sunt administratorii spiritus*: & (c): *Spiritus vobis subjiciuntur*: & : *Assumit alios septem spiritus secum nequiores se*. Nomen autem *spiritus*, licet aliquando tribuatur corporibus ut vento, puriori sanguinis portioni &c. cum tamen tribuitur rei intellectivæ, semper significat rem incorpoream, ut cum dicitur (d): *Spiri-*

(a) *De correp. & grat. cap.* 10.
(b) *Heb.* 1. (c) *Luc.* 10. & 11. (d) *Joan.* 4.

ritus est Deus: & (a) *Spiritus promptus est, caro autem infirma*: & (b): *Caro concupiscit adversus Spiritum*. Cum ergo Scriptura nomen spiritus Angelis tribuens indicet se loqui de substantiis intellectivis, illas proinde dicit incorporeas.

Prob. ex Lateranensi IV. supra relato, ubi Angelica substantia dicitur omnino spiritualis, & opponitur mundanæ, quæ est omnino corporea, & humanæ, quæ est mixta ex corpore & anima. Quamvis autem fortasse non possit ex hac Concilii locutione erui hoc esse de Fide, quia hoc non videtur directe ab illis definitum, sed solum indicatum; (solum enim directe statuit Deum esse omnium rerum auctorem contra Albigenses, qui Manichæorum errorem de duplici principio instauraverant) cum tamen satis appareat Concilium in nostram propendisse sententiam, nonnisi temere hæc poterit negari.

Prob. ex Patribus, quos ideo tantum adduco, ut appareat multos pro nobis stare. Eusebius ait (c): *Incorporeas quasdam & intelligentes ac divinas potestates Angelosque atque Archangelos, materiæque expertes, & ab omni parte puros spiritus*; Gregorius Nyssenus Angelos appellat (d) natura incorporeos: S. Gregorius Magnus ait (e) *Angelus solummodo spiritus, homo vero & spiritus est & caro*: S. Joannes Damascenus definit Angelum (f) *substantiam intelligentem materiæ atque corporis expertem*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Angelis hæ tribuunt affectiones & actiones, quæ nonnisi corporibus tribui possunt; nam I. Angelis tribuunt carnale commercium

(a) *Matt.* 26. (b) *Gal.* 5.
(c) *Lib.* 4. *Demons. Evang. cap.* 1.
(d) *De vita Moysis*.
(e) *Lib.* 4. *moral. cap.* 9.
(f) *Lib.* 2. *de Fide cap.* 3.

cium cum mulieribus: ita enim dicitur (a): *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Per filios autem Dei Angelos denotari patet ex versione 70., qui verterunt *Angeli Dei*, nec non ex pluribus Patribus hoc de Angelis intelligentibus.

II. Tribuunt Angelis apparitiones in forma corporea: hoc modo dicuntur apparuisse Abrahamo, Jacob, Tobiæ &c.

III. Docent res corporeas in Angelos impetum facere: ita dicitur (b) Dœmones cruciari ab igne Inferni, qui est corporeus, ut alibi probabitur: dicitur (c) Dœmonem pulsu citharæ David a Saule recessisse: dicitur (d) fumo jecoris cujusdam piscis Dœmonem fugandum. Ergo &c.

Negato antecedente ℟. ad I. ibi non esse sermonem de Angelis proprie talibus, sed vel de filiis Seth, qui dicuntur filii Dei, utpote geniti a sanctissimo Patriarcha, vel ut alii explicant ex versione Chaldaica, de filiis Magnatum & Principum, qui accesserunt ad filias hominum, idest vel ad filias Cain impii viri, vel ad filias hominum inferiorum ex plebe. Et sane, si de Angelis proprie talibus esset sermo, vel hoc esset intelligendum de Angelis bonis, vel de malis. At neque de Angelis bonis id potest intelligi, qui tunc temporis erant beati, & (e) *neque nubent, neque ducent uxores*: nec de Angelis malis, qui nonnisi incongrue appellantur filii Dei. Ergo &c. Nec officit opposita auctoritas Patrum, nam hi male textum intellexerunt, & propterea ab aliis Patribus & nominatim a Chrysostomo (f) reprehenduntur: & si ita intellexerunt, id fecerunt propter opinionem antiquitus apud multos vigentem, ut dixi, de Angelorum corporeitate.

(a) *Genes.* 6. (b) *Matt.* 25. (c) 1. *Reg.* 16.
(d) *Tob.* 6. (e) *Luc.* 20.
(f) *Homil.* 22. *in Genes.* n. 2.

Ad II. ℟. Corpora, in quibus Angeli apparuerunt, fuisse ab illis extrinsece tantum assumpta & efformata vel, ut docet S: Thomas, ex condensatione aeris, vel ex alia materia subtili, vel alio etiam fortasse modo: & operationes, quas in iis corporibus exercuerunt, vere vitales dici non posse, cum non prodierint a principio interno vitaliter illa informante. Hinc cum Angeli in corporibus assumptis visi sunt manducare, bibere, ambulare &c., hæ operationes non poterant vere dici vitales, cum Angelus, qui illas in corpore assumpto exercebat, non esset principium vitaliter, idest intrinsece illud informans, sed solum extrinsece illi assisteret: unde Angelus Raphael Tobiæ sic locutus est: (a) *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*.

Ad III. ℟. primo res corporales etiam juxta naturæ leges posse impetum facere in spiritum; nonne enim ex diversis affectionibus, quæ in corpore nostro ab externis objectis excitantur, determinatur animus ad ea objecta percipienda? Res igitur corporea impetum facere potest in spiritum. Sed etiam hoc misso R. secundo ad singula objectionis capita, & quidem ad primum dicendo miraculose igne corporeo cruciari Dæmones dicente Augustino: (b) *Quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi*. Et sane si valeret objectio, nec animæ separatæ, quæ tamen certe spirituales sunt, possent corporeo igne affligi. Ad alia ℟. multipliciter intelligi posse Dæmones affligi rebus corporeis, vel iisdem delectari: primo quatenus hæ vel contrariæ sunt, vel opportunæ iis corporum humoribus, in quibus præcipue solent resi-

(a) *Tob.* 12.
(b) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 20.

reſidere: ſecundo quatenus ſunt ſigna rerum ſpiritualium, quæ ipſis vel placent, vel diſplicent. Hoc modo fugatur Dæmon per crucem, quatenus eſt ſignum mortis illius, qui ipſius regnum evertit. Si ergo in aliis rebus corporeis inveniant Dæmones alias ſimiles ſignificationes, ab iiſdem rebus ſimiliter fugabuntur. E' contrario, ut docet S. Auguſtinus, delectantur nidoribus, fumo, ac aliis hujuſmodi, quatenus hæc plerumque ab impiis hominibus adhibentur ad cultum illis ſuperſtitioſum exhibendum. Addi etiam poſſet forſan Deum in pœnam ſuperbiæ Dæmonum voluiſſe, ut quibuſdam determinate rebus corporeis torquerentur, unde res illæ vim habebunt torquendi Dæmones, non quatenus corporeæ ſunt, ſed quatenus a Deo ad hunc finem ſunt aſſumptæ.

Obj. ex Conciliis. Cum in Nicæno II. ad cultum ſacris Imaginibus reſtituendum congregato, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus legiſſet dialogum Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis, in quo expreſſe aſſerebatur Angelos eſſe corporeos, poſtea ſubdidit: *Oſtendit Pater* (Joannes) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt*. Quibus auditis clamavit univerſa Synodus *etiam Domine*. Approbavit ergo Synodus doctrinam Joannis Theſſalonicenſis, adeoque ſenſit Angelos eſſe corporeos. Ergo &c.

℞. Tharaſium ſolum aſſeruiſſe ex doctrina Joannis Angelos debere pingi, quoniam ſunt circumſcripti, & hominum ſpecie multis apparuerunt, quod poteſt verificari etiam, quatenus aliquando ſpeciem humanorum corporum aſſumpſerunt, & in illis apparuerunt. Unde non probavit Synodus doctrinam Joannis, ut erat in ſe, ſed ut erat propoſita a Tharaſio, qui ſolum ex Joanne adduxit Angelorum circumſcriptionem & apparitionem ab illis factam ſub humana ſpecie, ut rationes ſufficientes ad illos pingendos.

Obj. ex hiſtoriis. Ex his conſtat Dæmones ſæpe cum mulieribus habuiſſe carnale commercium. Ergo corporei ſunt.

B 2 ℞. hæc

℟. hæc omnia geſta eſſe a Dæmonibus per corpora ad hunc finem extrinſecæ aſſumpta. Quod ſi aliquando habita ſit per tale commercium generatio, dico cum S. Thoma (a) id factum eſſe per ſemen ex viro a Dæmonibus ſumptum & in mulierem tranſmiſſum. Nil autem mirum ſi hæc peregerint Dæmones, qui omnia tentant, ut homines ad flagitia impellant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Dividuntur primo Angeli in tres Hierarchias. *Hierarchia* autem idem eſt ac ſacer Principatus plures in ſe perſonarum ordines continens, quarum aliæ aliis, ac tandem omnes uni ſupremæ ſubordinantur, quæ dicitur ſupremus Hierarcha. Ita hierarchia eccleſiaſtica continet plures Clericorum tum ſuperiorum, tum inferiorum ordines, quorum priores poſterioribus præſunt, ac tandem unum ſupremum Caput, cui omnes alii ſubditi ſunt, & hoc eſt R. Pontifex.

Hierarchia ergo Angelica importat plures ordines Angelorum, quorum inferiores ſuperioribus, ac tandem omnes uni tanquam Principi ſunt ſubordinati.

Hoc poſito docent communiter Thelogi cum auctore libri *De cœleſti Hierarchia* tres eſſe Angelorum hierarchias, quarum ſingulæ tres ordines continent Angelorum (quamvis ſit aliqua in iis numerandis diſcrepantia). In prima & ſuprema hierarchia continentur Seraphim, Cherubim, & Throni: in ſecunda & media Dominationes, Principatus, & Poteſtates: in tertia Virtutes, Archangeli, & Angeli ſtricte tales.

Ex his patet novem eſſe Angelorum ordines. Horum omnium expreſſam mentionem facit Scri-

(a) I. I. *quaſt.* 51. *art.* 3. *ad* 6.

Scriptura: Seraphim quidem ubi dicitur: (a) *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri*: Cherubim ubi dicitur: (*b*) *Cherubim stabant a dextris domus*: Thronorum, Dominationum, Principatuum, ac Potestatum (c): *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates*: Archangelorum: (d) *In voce Archangeli*: Virtutum, & Angelorum: (e) *Certus sum, quia .... neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes* &c.

Horum ordinum hæ a Theologis ducibus præsertim Gregorio & Bernardo afferuntur proprietates deductæ vel ex illorum intrinsecis affectionibus, vel ex illorum ministeriis. In Seraphim maxime elucet charitas, in Cherubim scientia: Troni sunt peculiaris Dei sedes: Dominationibus competit maxima excellentia dominii in imperatione rerum agendarum: Principatibus Regnorum & Provinciarum cura commissa est: Potestatibus maxima competit potentia contra Dei inimicos pugnandi; Virtutes maxima pollent potentia ad patranda mirabilia: Archangeli summorum Dei arcanorum sunt participes, eaque, si Deus jubeat, hominibus nunciant: Angeli minimorum tantum sunt conscii, eaque tantum hominibus manifestant.

Quamvis porro conveniant omnes in assignanda distinctione Angelorum a se invicem ortam ex multiplicitate ordinum, controversia tamen est circa differentiam Angelorum specificam. Volunt aliqui omnes Angelos esse diversarum specierum, ita ut omnes nedum numero, sed etiam specie distinguantur; & ne duo quidem sint Angeli ejusdem speciei. Ita Thomistæ communius. Horum ratio est, quod principium individuationis,

(a) *Isai.* 6. (b) *Ezech.* 10. (c) *Coloss.* 1.
(d) 1. *Thess.* 4. (e) *Rom.* 8.

sive illud, quod facit plura distincta esse a se invicem ut individua unius speciei, est materia, vel quam habent in se, vel ad quam habent relationem. Cum ergo Angeli nec materiam habeant, nec ad illam relationem, hoc principium individuationis consequenter non habebunt, sicque a se invicem non erunt distincti ut plura individua unius speciei, adeoque specie inter se different.

Hanc sententiam hìc non puto examinandam, cum eam in metaphysicis supponam examinatam. Solum adverto illam ab aliis Scholis communiter rejici & merito; non enim apparet, quare etiam seclusa materia omnique ad illam respectu, duæ res non possint esse adeo similes inter se, ut non possint dici diversæ, & aliunde non debeant dici numero differentes, cum entitas unius est distincta ab entitate alterius. Non ergo apparet, quare Angeli debeant omnes dici diversæ a se invicem speciei, cum duo dicantur ejusdem speciei, quando unum non est alterum, nec tamen est ab altero diversum.

Si ergo Angeli non sunt omnes, vel saltem non est, cur dicamus esse diversæ speciei, eruntne omnes ejusdem speciei, an vero plures erunt Angelorum species? Hìc rursus quæstio. Affirmant alii omnes Angelos esse ejusdem speciei, adeoque multiplices Angelorum hierarchias & ordines volunt differre solum accidentaliter, differentiis scilicet ortis ex variis præcise officiis Angelorum, quæ quidem officia non inducunt diversitatem specificam, ut non inducunt in hominibus diversa officia, quæ Deus in Ecclesia posuit. Hanc sententiam muniunt isti præcipue auctoritate aliquorum Patrum docentium, quod sicuti una est species hominum, sic una est species Angelorum.

Aliis è contra videtur probabilius plures dari species Angelorum, quamvis non totidem, quot Angeli, ut volunt Thomistæ, sive postea hæ species sint tres, ut sunt hierarchiæ, sive novem, ut sunt ordines, sive etiam sint plures, quam no-

novem. Per hos ergo Angelica natura est ad instar naturæ brutorum, quæ in varias species dividitur, ut in speciem canis, leonis, bovis &c. & sicuti quælibet ex his speciebus plura sub se habet individua, ita singulæ species Angelorum plura sub se individua habebunt. Horum momenta præcipue petuntur ex auctoritate aliorum Patrum docentium diversitatem inter aliquos Angelos esse quandam in natura. Hæc autem diversitas arguit distinctionem illorum specificam.

In hac sententiarum diversitate, cum nihil expresse habeamus ex Scriptura, cum Patres divisi sint, cum rationes, si quæ pro utraque parte adducuntur, sint leves tantum conjecturæ; placet fateri me ignorare quid statuam, & hoc exemplo S. Augustini dicentis: (a) *Esse Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo; sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quanam ista sint, & quid inter se differant, nescio.*

ARTICULUS TERTIUS.

Numerus pariter Angelorum est incertus. Magnam esse illorum multitudinem indicat Scriptura dum dicit: (b) *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei:* & rursus: (c) *Nunquid est numerus militum ejus?* Cæterum sunt qui putant plures esse Angelos, quam homines, quod S. Cyrillus Hierosolymitanus repetit ex majori amplitudine cœli præ terra; cum enim, inquit ipse, (d) Angeli sint destinati ad habitandum cœlum, homines terram, tanto debent esse plures Angeli hominibus,

(a) *Ad Orosium contr. Priscill. c.* 11.
(b) *Daniel.* 7. (c) *Job.* 25.
(d) *Catech.* 15.

bus, quanto majus terra est cœlum. Alii id repetunt ex quo singulis hominibus Angelus custos assignetur, qui mortuo suo cliente non videtur assumere debere curam alterius: ex quo colligitur totidem saltem esse Angelos bonos, quot homines. His Angelis si addantur Angeli mali, major profecto erit multitudo Angelorum, quam hominum.

Alii è contra existimant plures esse homines, quam Angelos. Id ita probant. Congruum est, ut post ultimi judicii diem tot sint Angeli, quot homines beati. Rursus plures sunt homines damnati, quam Angeli pariter damnati; nam major pars hominum damnatur, è contra minor pars damnata est Angelorum, cum tertia solum eorum pars sit damnata. Ergo &c. In re tam incerta hæc indicasse sufficiat.

CAPUT QUARTUM.

De affectionibus Angelorum naturalibus.

AGam hic 1. de intellectu & scientia Angelorum, 2. de illorum locutione, 3. de illorum voluntate, loco, motu, duratione, ac potentia operandi extra se.

ARTICULUS PRIMUS.

Intellectum esse in Angelis certum est. Hic semper est in actu secundo intelligendi; nam intellectio est præcipuus actus vitalis, qui exerceatur ab Angelis, sive actus in quo maxime elucet illorum vita. Decet ergo, ut semper illum exerceant, maxime cum nihil sit, quod illorum intellectiones nec ad tempus impediat, ut in nobis aliquando impediuntur a somno, a morbis &c.

Possunt Angeli etiam circa aliqua ratiocinari; quid enim vetat, ne ex propositione magis nota aliam minus notam deducant, cum certum sit eos non omnia cognoscere, nec eodem modo? Sane cum Dæmones diligenter requirebant indi-

cia,

cia, quæ ipsis manifestarent, utrum Christus esset Deus, nec ne, vel cum ex motibus hominum extrinsecis conantur cognoscere secreta cordium, satis ostendunt se ratiocinari posse, cum talis inquisitio ad hunc finem sit instituta, ut statuant antecedens, ex quo optatam notitiam tanquam consequens hauriant, quod tandem est ratiocinari.

Alia ab Angelis cognoscuntur naturaliter, alia non nisi supernaturali auxilio possunt cognoscere. Quoad priora (de cognitione enim posteriorum agam dissertatione sequenti).

Certum est primo Angelos cognoscere Deum; nam id quoad naturales perfectiones non est negandum Angelis, quod hominibus conceditur, hi autem Deum etiam naturaliter cognoscunt juxta illud: (a) *Invisibilia* (Dei) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; ergo &c. secundo cognoscere se ipsos & alios Angelos; æquum enim est, ut qui unam societatem constituunt, omnia membra illius societatis cognoscant: tertio cognoscere res omnes materiales secundum earum rationes generales, sive secundum earum naturas specificas; id enim postulare videtur naturalis perfectio intellectus Angelici. An autem cognoscant omnes rationes rerum singulares, seu omnes res in singulari, incertum est. Quidquid sit de hoc, videtur sane ipsis concedenda cognitio illorum singularium, quæ ipsorum curæ commissa sunt, vel quæ ipsis intime præsentia sunt.

Aliqua etiam futura cognoscunt Angeli, scilicet necessaria & contingentia late. Pro intelligentia noto futura ordinis naturalis triplicis esse generis; alia enim sunt *necessaria*, alia *contingentia late*, alia *stricte*. Prima sunt illa, quæ juxta cursum naturalem rerum a Deo statutum debent absolute evenire, ita ut nulla naturalis

B 3 cau-

(a) *Rom.* I.

causa possit illa impedire: talis est cursus crastinus solis. Secunda quæ a causis quidem necessariis proveniunt, sed naturaliter per occursum aliarum causarum necessariarum impedibilibus: talis est productio frugum, quas terra gignet anno sequenti; hæc enim a causa quidem necessaria dependet, sed quæ ab effectu producendo potest & per grandinem, & per nimias pluvias, & per nimium ardorem impediri. Tertia sunt quæ proveniunt a causa libera & libere operante, ut essent peccata hominum futurorum.

Futura ergo necessaria & contingentia late, saltem si hæc dependeant a paucis causis & non admodum abstrusis, & si hæ causæ non concurrant post longa temporis intervalla, cognoscunt Angeli; hæc enim cognitio spectat ad cognitionem ordinis in natura a Deo statuti, quæ quidem cognitio Angelis non videtur deneganda. Habent tamen de illis solum physicam certitudinem.

Dixi signanter *saltem si dependeant a paucis causis &c.*; posito enim quod multæ essent causæ, & admodum abstrusæ, & per longa temporum intervalla deberent concurrere, futura ab his dependentia ab Angelis fortasse non cognoscerentur, cum talis cognitio spectet non ad qualemcumque, sed ad perfectissimam & fere comprehensivam cognitionem ordinis naturalis, quæ soli Deo est reservata. Juxta hæc ergo non cognoscent Angeli quot E. G. pluviæ guttæ per mille annos sint casuræ, quot roris stillæ &c.

Porro contingentia stricte sumpta neque certo certitudine physica cognoscere possunt, sed solum conjecturaliter, vel ad summum aliquando certitudine morali; nam ex Scriptura & Patribus constat prædictionem, adeoque cognitionem futurorum esse opus solius Dei. Cum autem non omnium futurorum prædictio ex supra visis aliis præter Deum sit deneganda, restat ut id intelligatur de aliquorum tantum prædictione, & si aliquorum, potius certe futurorum stricte contingentium, quam aliorum.

Loca autem Scripturæ sunt: (a) *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos:* rursus: (b) *Ego sum Deus . . . . nec est similis mei, annuncians . . . . . quæ necdum facta sunt*

Loca Patrum inter alia hæc sunt: Chrysostomus ait: (c) *Futura accurate prædicere unius immortalis naturæ est:* Tertullianus: (d) *Idoneum testimonium Divinitatis est veritas divinationis:* S. Hilarius: (e) *Proprium autem Deo quid aliud, quam cognitio futurorum est?*

Accedit quod non est, unde talium futurorum cognitionem vel metaphysice, vel physice certam haurire possint; non enim possunt ea videre in se ipsis, cum ex una parte in se ipsis nihil ea sint, & ex alia solus Deus possit videre in se ipsis quæ nihil sunt: rursus ea non possunt videre in suis causis, cum hæ supponantur indifferentes, utpote liberæ. Ergo &c.

Nec oppositum suadent prædictiones Dæmonum, quæ sane non nisi naturalem cognitionem supponunt; hæ enim plerumque sunt falsæ, plerumque æquivocæ, ita ut possint tam ad veritatem, quam ad falsitatem trahi, & si quando sunt veræ, tales sunt per accidens, quia scilicet Dæmones accidentalem quandam notitiam hauriunt vel ex conjecturis deductis a personis, a factis, & aliis hujusmodi, vel quia cum acceperunt a Deo potestatem hominibus nocendi ad certum tempus, sciunt quousque duraturæ sint calamitates ab ipsis causandæ, vel alio simili pacto.

Hæc ergo contingentia vident vel solum conjecturaliter, quatenus ex futura positione aliquarum circumstantiarum suspicantur causam libe-

(a) *Isa.* 41. (b) *Isai.* 46.
(c) *Hom.* 19. *al.* 18. *in Joann.*
(d) *Apolog. Cap.* 20.
(e) *Lib,* 9. *de Trin. n.* 61.

ram se tali vel tali modo determinaturam: vel etiam aliquando certo certitudine morali, quia fieri potest, ut aliquando experentia docti sint rem tali modo vel semper, vel fere semper evenisse, unde non relinquatur prudens locus dubitandi rem imposterum data paritate circumstantiarum eodem modo eventuram, ut si E. G. videant hominem, qui in aliqua occasione semper peccavit, in illa denuo se constituere, sunt moraliter certi illum denuo peccaturum.

Videndum modo, an Angeli cognoscant secreta cordium, idest actus mere internos & liberos intellectus & voluntatis agentium rationalium. Alia est hic quæstio de facto, alia de possibili. Quoad primam est extra dubium, quod Angeli secreta cordium (subintellige semper aliorum agentium rationalium) certo non cognoscant; nam hæc cognitio a Scripturis soli Deo tribuitur; dicitur enim: (a) *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*: & rursus: (b) *Pravum est cor omnium & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.*

Suffragantur Patres. Chrysostomus de Angelo a Deo misso ad S. Joseph, cum hic intra se de relinquenda conjuge cogitaret, ait: (c) *Indubitatum ipsi signum erat, Angelum a Deo jussum hæc dictum venisse; ipsius enim solius est cordis arcana scire.* Ambrosius de Deo inquit: (d) *Quem solum abscondita cogitationum & mentis occulta non fallunt.* Quod si aliqui ex Patribus asserant aliquando Angelos cognovisse internas cogitationes aliorum, possunt intelligi vel de cognitione per revelationem Dei, vel de cognitione aliqua conjecturali, quæ quidem potest admitti, vel pro casu, quo alter cesserit juri in proprium secretum.

Quoad

(a) 3. *Reg.* 8. (b) *Hierem.* 17.
(c) *Homil.* 4. *in Matt.*
(d) *In Psalm.* 50. *v.* 4.

Quoad quæstionem de possibili discordes sunt Theologi. Alii cum Scoto affirmant Angelos habere potentiam naturalem cognoscendi cordium secreta, quæ si actu non cognoscunt, dicunt id provenire ex ordinatione Dei statuentis impedire hanc cognitionem; cum enim, inquiunt hi, secreta cordium sistant intra ordinem naturalem, non est cur non possint a naturali vi intellectus Angelici percipi: & sicuti naturaliter potest Angelus cognoscere cordis substantiam, ita etiam cordis actus. S. Thomas e contra cum plurimis aliis talem potentiam Angelis negat; ad quid enim, inquiunt isti, illam dedisset Deus Angelis, si semper ipsius actus essent suspendendi? Quamvis autem secreta cordium sistant intra ordinem naturalem, pergunt, quatenus non pertingunt ad ordinem supernaturalem gratiæ, non sistunt tamen, quatenus etiam non pertingant ad ordinem moralem, qui exigit, ut quilibet actus suos internos possit pro libito alteri occultare: ad quem moralem ordinem cum non pertingat ipsa cordis substantia præcise ut substantia est, nil mirum, inquiunt, si hæc non superet vim naturalem intellectus Angelici, secus cordis actus.

Mea quidem sententia est, Angelum naturaliter non habere potentiam proxime expeditam cognoscendi secreta cordium; deest enim aliquid ad actum, & quidem quod non est in ipsius potestate, ut ponatur, deest scilicet liber consensus alterius jus habentis in suum secretum. At aliqualis potentia naturalis hæc cognoscendi illis non videtur deneganda. Sane si alter cedat juri in suum secretum, Angelus tunc illud cogoscet. Peto, naturaliterne, an supernaturaliter? Non utique secundum, non enim apparet ulla in casu necessitas auxilii supernaturalis, &, ut infra dicam, per talem cessionem sufficienter explicatur naturalis locutio unius Angeli ad alium. Ergo primum: sed si primum, jam in Angelo debet præsupponi aliqualis potentia naturalis ad ea cognoscenda, cum actus naturalis supponat potentiam saltem aliquatenus naturalem. Ergo &c.

Rur-

Rursus si aliquid in casu deesset ad potentiam naturalem, esset, quod non potest Angelus tollere impedimentum ad talem cognitionem, quod est contraria voluntas alterius elicientis actum, & nolentis illum manifestare. Sed hoc non tollit, quod potentia cognoscendi hunc actum (remota utique, & non reducibilis ad operationem, nisi posita hac cessione) debeat dici aliquatenus naturalis: quomodo, licet ego non possim per visionem corpoream videre corpus aliquod positum pone aliud corpus opacum; quod postremum non possim amovere, nullus tamen negabit, quod non habeam potentiam aliquam naturalem prius videndi.

Naturaliter etiam Angeli cognoscunt res supernaturales tantum quoad modum. Aliquæ scilicet sunt res, quæ in se ipsis sunt naturales, & solum modus illas producendi seu conservandi excedit vires naturæ, ut esset vita restituta mortuo (vitam enim est quid naturale, at illius restitutio post mortem est supernaturalis), aliæ etiam in substantia sunt supernaturales, ut essent gratia, habitus virtutum theologicarum &c. Ad cognoscendas autem priores (cohærenter ad supra dicta) sufficiunt vires Angeli naturales. Ratio est, quia revera talia habent proportionem cum intellectu Angelico. Ergo ab ipso naturaliter possunt cognosci. Quod autem modus illa producendi sit supernaturalis, efficit quidem, ut Angelus non possit illum distincte attingere, sed non efficit, ut illum non possit attingere quoad supernaturalitatem: ita E. G. si vita mortuo restituatur, cognoscet Angelus naturaliter hanc restitutionem, & cognoscet pariter illam esse supernaturalem, cum sciat per naturæ vires non posse præstari, sed non poterit distincte explicare quonam præcise modo vita sit restituta.

Quæ autem sunt supernaturalia quoad substantiam, Angeli nequeunt naturaliter cognoscere; hæc enim transcendunt ordinem naturæ, & nullam habent necessariam connexionem cum ali-

qua

qua re naturali. Ergo naturalem superant Angeli capacitatem.

His attactis circa objecta cognitionis Angelicæ, addo objecta ab Angelis, si ipsis præsentia sint, probabilius absque ulla specie impressa videri; hæc enim, ut alibi dixi, admitti solum debet ad supplendas vices objecti absentis. Si vero objecta sint absentia, probabilius per ipsorum species impressas ab Angelis cognoscuntur, cum alias non appareat quomodo possint ab Angelis cognosci. Imo S. Thomas, quem alii magni nominis Theologi sequuntur, existimat admittendas esse pro his objectis tales species Angelorum mentibus congenitas, quod deducitur ex iis Scripturæ locis, ubi Dæmones dicuntur pleni sapientiæ a die conditionis ipsorum, nec non ex quo alias, cum fuerunt creati, fuissent veluti tabulæ rasæ, in quibus nihil fuisset depictum.

Addo ex communi contra Durandum ab uno Angelo alium illuminari. Nomine autem *illuminationis* venit communicatio notitiæ alicujus facta Angelo inferiori a superiore, qui illam acquisivit a Deo. De hac illuminatione ait S. Athanasius: (a) *Cherubim & Seraphim sine ullo mediatore ac interprete a Deo condiscunt . . . . & ab iis erudiuntur inferiores ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu.* Hæc illuminatio non versatur circa ea, quæ essentialiter pertinent ad beatitudinem; nam ea Angeli immediate vident in Deo, sed tantum circa aliqua ex iis, quæ liberum est Deo Angelis revelare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Angelos loqui certum est ex Scripturis; dicitur enim: (b) *Ecce Angelus, qui loquebatur:* rursus: (c) *Vidi . . . Angelum ascendentem ab ortu*

(a) *Lib. de commun. Essent.*
(b) *Zach.* 2. (c) *Apoc.* 7.

tu solis . . . . & clamavit voce magna: rursus: (a) *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur &c.*

Vel autem loquuntur ad Deum, vel ad se invicem, vel ad homines. Prima loquutio commode explicatur per hoc, quod Angeli cogitationes proprias ad eum dirigant, non ut ipsi manifestentur, omnia enim ex se novit Deus, sed ut vel aliquid ab ipso impetrent, vel ut illum laudent &c.: secunda explicari potest per hoc, quod unus Angelus producat actum contentus, ut hic alteri constituto intra suæ activitatis spheram, sive non ultra debitam distantiam pateat. Scilicet cum locutio creaturarum rationalium fiat per hoc, quod una alteri manifestet actus suos internos sive intellectivos, sive volitivos, jam per id Angeli ad se mutuo loquentur, per quod tales actus ad se mutuo manifestabunt. Atqui manifestant actus suos per hoc, quod illos producant contenti, ut aliis innotescant; nam ex una parte tunc cedunt juri, quod habent eos retinendi occultos, & ex alia, postquam huic juri cesserunt, actus sunt perceptibiles ab alio Angelo. Ergo &c.

Ad hoc tamen requiritur, ut Angelus audiens sit infra sphæram activitatis Angeli loquentis, sive non ultra debitam distantiam ab illo; non enim credendum est posse Angelum operari in quacumque distantia, cum Scriptura asserat Angelos ad producendos aliquos effectus transire de loco in locum, ut dum dicit Dæmon: (b) *Circuivi terram, & perambulavi eam:* & cum de eodem habetur: (c) *Ambulat per loca arida quærens requiem:* quæ innuunt non posse Angelum operationes suas extendere ad quemcumque locum. Ergo nec locutionem.

Ni-

(a) *Ep. Jud.* (b) *Job.* 2.
(c) *Matt.* 12.

Nihil autem vetat, ne Angeli se mutuo alloquantur per signa etiam corporalia; nam optime istorum vim noscunt, & facile est illis ea adhibere.

Hæc signa ut plurimum adhibent Angeli, cum homines alloquuntur, quod constat ex Scripturis narrantibus ita Angelos cum hominibus locutos fuisse.

Ex his patet Angelum naturaliter spectatum posse quidem homini mentiri, non antem alteri Angelo, saltem si fiat locutio per cessionem juris ad actus interni occultationem; nam cum Angelus hominem alloquitur, hic non videt actum Angeli internum in se, sed solum in signo, quod potest adhiberi etiam ad indicandum falsum. E contra cum Angelus Angelum alloquitur modo adducto, hic videt in se & intuitive alterius actum internum. Non potest autem ab altero decipi ille, cui ab altero res, prout est in se, exhibetur. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Ad alias modo Angeli affectiones naturales breviter transeo. Cum de voluntate plura dicturus sim ubi de gratia & peccato Angelorum fiet sermo, idcirco hic solum adverto Angelis fuisse concessam voluntatem ex se liberam, adeoque potentem & ad bonum & ad malum inclinari.

Convenit etiam Angelis ut sint in loco, & ut possint se movere. In loco sunt definitive, idest ipsorum entitas est in toto loco ipsis adæquato, & tota in qualibet loci parte, ita ut naturaliter simul in alio loco esse non possit. In loco non sunt formaliter per operationem seu applicationem aliquam propriæ virtutis, ut contendunt Thomistæ, sed per substantiæ propriæ præsentiam, ut volunt Scotistæ; nam operari in aliquo loco supponit esse in eodem loco, saltem si operatio fiat ab agente immediate. Ergo per operationem præcise nequit Angelus constitui in loco. Rursus potest optime concipi Angeli exi-

sten-

stentia in loco, etsi nihil operetur, ut si Deus Angelum in aliquo loco existentem desereret concursu suo, ita ut non posset amplius operari, optime adhuc conciperetur existentia Angeli in tali loco: & e contra, si Angelus in uno loco existens operaretur in alio loco, non posset nisi vim inferendo intellectui dici in hoc posteriori loco. Ergo non per operationem, sed per præsentiam substantiæ Angelus constituitur formaliter in loco. In loco tandem potest se constituere modo minore, modo majore, dummodo non excedat virtualem Angeli magnitudinem. Nam ex una parte non est Angelus immensus, adeoque ad certum tantum spatium se porrigit ipsius extensio: ex altera, cum substantia Angelica sit simplex, adeoque materialibus partibus destituta, non est cur non possit ad exiguum spatium, imo etiam ad punctum redigi.

Rursus convenit Angelis facultas locomotiva, qua fit, ut de uno loco in alium possint & se & alia multa præter se transferre. Videtur commodius intellectui nostro asserere Angelos ab uno in alium locum non posse transferri nisi transeundo per medium.

Quoad durationem Angelorum, vel instituitur quæstio circa eorum substantiam, vel circa operationes. De fide est substantiam semper duraturam; nam constat ex Scriptura Angelos bonos semper Deo fruituros, malos semper in Inferno arsuros. Ex operationibus aliæ nunquam defuturæ sunt, ut intelligere, velle, diligere Deum respectu bonorum &c.: aliæ ad tempus solum duraturæ, ut custodia & gubernatio hominum &c.

Habent etiam naturaliter Angeli omnes miram potentiam operandi extra se, cum ipsi optime cognoscant causas naturales, perspicacissimo polleant ingenio, & facillime possint corpora movere. Hi tamen effectus supernaturales dici non debent, sed ad summum præternaturales, cum præter cursum usitatum rerum naturalium eveniunt. Cæterum etiam tunc intra ordinem sistunt naturæ, solumque nobis apparent mirabiles, quia illorum rationem ignoramus. DIS-

DISSERTATIO II.

De Angelis ſpectatis quoad ſupernaturalia.

DIſſertationem hanc in duo capita divido. In 1. loquar de ſpectantibus ſupernaturaliter ad intellectum & voluntatem Angelorum ante peccatum malorum (poſt peccatum enim illorum Angeli boni in donis ſupernaturalibus fuerunt confirmati proportionaliter ad ſtatum Beatorum, ad quem fuerunt elevati: Angeli mali omnia dona ſupernaturalia amiſerunt): in 2. loquar de miſſione Angelorum eorumque miniſteriis circa homines, cum hæc ad ſupernaturalem finem ut plurimum dirigantur.

CAPUT PRIMUM.

De ſpectantibus ſupernaturaliter ad intellectum & voluntatem Angelorum.

AGam hic 1. de ſpectantibus ad intellectum, mox de ſpectantibus ad voluntatem, ac proinde agam 2. de illorum gratia actuali, 3. de habituali.

ARTICULUS PRIMUS.

Certum eſt Angelis aliqua fuiſſe ſupernaturaliter revelata; nam hæc revelatio eſt neceſſaria ad fidem, quæ fides omnino requirebatur, ut ipſi

possent supernaturaliter mereri juxta illa: (a) *Justus in fide sua vivet:* &: (b) *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Certum est pariter Angelis fuisse revelatam existentiam Dei, & ipsum esse remuneratorem; horum enim fides explicita, sicuti est necessaria necessitate medii hominibus juxta illud: (c) *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ita a pari fuit Angelis necessaria. Probabilissimum quoque est ipsis fuisse revelatam Trinitatem; non enim debuerunt ipsi esse deterioris conditionis, quam simus nos, quibus tale mysterium revelatum est.

An fuerit Angelis revelatum futurum mysterium Incarnationis incertum est. Id quidem contendunt plures nixi tum illi: (d) *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus:* ubi dicitur Christus bis introductus in mundum, quod ita explicant, ut primo dicatur introductus, cum Angelis est manifestata Incarnatio futura, secundo cum de facto incarnatus est: tum auctoritati Augustini id docentis (e): tum rationi, quia, cum Christus futurus esset illorum caput, congruum videbatur, ut illis statim a creatione proponeretur adorandus.

Sed alii etiam id negant ex quo, cum per ipsos Verbum non fuisset incarnandum, nisi in suppositione peccati Adami, videbatur incongruum, ut nondum hoc posito revelaretur Angelis futura existentia remedii pro illo. Textum autem Apostoli nihil probare affirmant, cum possit explicari vel per hoc, quod Filius Dei dicatur primo introductus in mundum per generationem æternam, secundo per productionem humanitatis temporalem: vel per hoc, quod dicatur primo intro-

(a) *Habac.* 2. (b) *Hebr.* 11.
(c) *Hebr.* 11. (d) *Hebr.* 1.
(e) *Lib.* 5. *de Genes. ad lit. Cap.* 19.

troductus in mundum per incarnationem in carne passibili, secundo introducendus in carne gloriosa per alterum illius adventum in die judicii. Ex quibus patet allatum textum ad priorem opinionem firmandam esse insufficientem.

Ad auctoritatem Augustini respondent ipsum quidem asserere Incarnationem futuram Angelis revelatam, sed non asserere ipsam revelatam ante peccatum Adæ. Ad rationem tandem dicunt Christum non futurum caput Angelorum, nisi in suppositione quod esset incarnandus, quod non verificabatur, nisi in suppositione peccati Adæ. Solum ergo hoc supposito debebat futura incarnatio Angelis manifestari.

Hæ sane responsiones sunt probabiles, sed cum positiva ratio, quam isti adducunt pro sua sententia, non satis evincat intentum, nam etiam dato, quod incarnatio esset habenda solum in suppositione peccati Adami, adhuc potuit Angelis hæc manifestari antecedenter ad hoc peccatum, puta non manifestata causa illius; sufficiat rem ut dubiam relinquere.

Incertum quoque est an & quæ alia præter hæc fuerint Angelis supernaturaliter manifestata. Generaliter dici potest ea omnia fuisse illis manifestata, quæ ad illorum statum pertinere videbantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Descendo nunc ad ea, quæ spectant supernaturaliter ad voluntatem Angelorum, & quoniam fere omnia hæc gratia comprehenduntur, ideo tractationem ad illorum gratiam restringo.

De gratia Angelorum in termino consideratorum nihil aliud hic dico, nisi quod mali illa omnino spoliati sunt, boni vero fuerunt confirmati in gratia sanctificante, quamvis non habeant amplius gratias actuales, quibus merita comparent, cum in termino non detur merito locus. De gratia autem Angelorum in via consideratorum ut afferantur scitu necessaria, præstat hic agere de gratia actuali, articulo sequenti de habituali.

Cer-

Certum est Angelis ante peccatum fuisse concessam gratiam actualem. Hoc eruitur ex Augustino dicente de Angelis (a): *Simul ut facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquomodo essent & quoquomodo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter beateque viverent*, quibus actualem gratiam intellectus indicat: & infra, postquam dixit Angelos in bona voluntate fuisse constitutos, subdit (b), *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*, quibus indicat gratiam actualem spectantem ad voluntatem.

Hoc etiam ratio suadet; cum enim Angeli debuissent per actus supernaturales supernaturalem beatitudinem promereri, quod sine gratia actuali fieri non potest, patet hanc illis debuisse concedi. Circa hoc videantur etiam quæ in Tractatu de homine adducentur ad probandum fuisse primo homini collatam gratiam actualem; nam rationes, quæ ibidem adducentur, proportionaliter valent etiam circa Angelos.

Alia ad gratiam actualem Angelis collatam spectantia dabuntur in Tractatu de gratia. Adverto hic quod, cum doceant communius Theologi Deum destinasse Angelis majorem perfectionem supernaturalem & majorem gloriam, quo major erat illorum naturalis perfectio; consequens est, ut major quoque gratia actualis Angelis naturaliter perfectioribus collata sit, quam Angelis minus naturaliter perfectis, ut illi majorem præ istis sanctitatem & gloriam consequerentur.

AR-

(a) *Lib.* 11. *de Civit. Dei Cap.* 11.
(b) *Ibid. Lib.* 12. *Cap.* 9.

ARTICULUS TERTIUS.

Circa gratiam habitualem & ſanctificantem duplex occurrit quæſtio examinanda, prima an omnes Angeli illam aliquando habuerint, ſecunda quandonam illam habuerint. Quoad primum ſit

ASSERTIO PRIMA. *Omnes Angeli, adeoque etiam mali ante peccatum habuerunt gratiam ſanctificantem*. Hæc eſt modo communis inter Theologos.

Prob. ex Scripturis; in illis enim dicitur de Lucifero in perſona Regis Tyri (a): *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te;* & rurſus (b): *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia & perfectus decore*. Ergo Lucifer habuit omne donum etiam ſupernaturale (c): *Quid nempe doni non habuit*, inquit S. Gregorius, *ſi ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit?* adeoque etiam habuit gratiam ſanctificantem, quam ſi ille habuit, alii quoque profecto Angeli ex identitate rationis habuerunt. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Auguſtinus (d) appellat beatitudinem, quam Angeli boni conſecuti ſunt, *debitam mercedem*, quo indicat Angelos bonos gloriam promeruiſſe de condigno. Habuerunt ergo gratiam ſanctificantem ad hoc meritum neceſſariam. Hanc autem gratiam habuerunt profecto ante peccatum etiam mali, cum & ipſi potuiſſent, ſi voluiſſent, eodem modo promereri gloriam. Ergo &c. S. Baſilius ait (e): *Angelos, ut eſſent, Verbum omnium opifex condidit; ſanctificationem vero ſimul impendit ipſis Spiritus:* S. Hyeronymus inquit (f): *Dæmones in magna pinguedine Spiritus creati ſunt*: Gregorius magnus de Lucifero inquit (g): *Inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa clarus* glo-

(a) *Ezech.* 28. (b) *Ibid.*
(c) *Lib.* 32. *Moral. Cap,* 23.
(d) *De correp. & grat. Cap.* 11.
(e) *In Pſalm.* 32. (f) *In Oſe.*
(g) *Lib.* 32. *Moral. Cap.* 23.

gloria conditionis extitit: Joannes Damascenus (a): *Per Verbum*, inquit, *omnes Angeli creati sunt, ac per Spiritus S. sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. In Job, ubi juxta vulgatam legitur (b): *Et in Angelis suis reperit pravitatem*, juxta textum Hebraicum legitur: *Et in Angelis suis non posuit lucem*, quo significatur aliquos Angelos nunquam habuisse gratiam.

II. Dicitur (c): *Ab initio Diabolus peccat*, quo denotatur Diabolum nunquam fuisse bonum, adeoque nunquam constitutum in gratia.

℟. Ad I. etsi legatur juxta Hebraicum, id tamen vel posse intelligi de manifestatione consiliorum Dei, quæ ipse ab initio Angelis non revelavit, vel de gratia stabili ac perfecta, quam Deus certe ab initio omnibus Angelis non dedit, cum non omnibus dederit perseverantiam.

Ad II. ℟. Diabolum ab initio peccasse, vel quia peccatum illius fuit initium omnium peccatorum, vel quia ipse in primordiis vitæ suæ peccavit, ut infra ostendam.

Obj. ex Summis Pontificibus. Joannes Papa ait (d): *Dolet satis* (Diabolus) *& erubescit charitatem, quam in cœlo nequivit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra*. Ergo &c.

℟. Hoc dictum exponi posse, quatenus Diabolus doleat se tam brevi perseverasse in gratia, in qua aliquando homines diu perseverant. Nisi dicere velimus cum aliquibus, in quibusdam codicibus pro iis verbis *quam in cœlis nequivit habere* legi in præsenti *habere nequit*, quo posito textus omnino impertinens est ad assertionem.

Obj.

(a) *Lib.* 2. *de Fid. Cap.* 3.
(b) *Job.* 4. (c) 1. *Jo.* 3.
(d) *Can.* Visis Litteris 16. 2.

Obj. ex Patribus I. S. Augustinus docet (a) *sic Deum ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in eis prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium.* Sentit ergo Augustinus prius Angelos fuisse usos libero arbitrio, per quod alii peccarunt, alii a peccato abstinuerunt, postea in priores Deum exercuiſse judicium, posterioribus dedisse gratiam. Ergo mali Angeli per Augustinum nunquam gratiam habuerunt. Rursus infra, postquam dixit Diabolum aliquando fuisse beatum, addit tunc non habuisse gratiam sanctificantem, quam postea nunquam habuit, habiturus profecto, si non peccasset: *Erat*, inquit *quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, idest ut magna per Spiritum S. data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent*. Ergo &c.

II. S. Gregorius Magnus expendens illud (b): *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es*, per aurum intelligit sapientiam Dœmonis, per foramina capacitatem charitatis, *qua*, inquit (c), *si repleri voluisset, stantibus Angelis tanquam positis in Regis ornamento lapidibus inhærere potuisset*, & concludit: *Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta*. Sentit ergo Diabolum nunquam habuisse charitatem seu gratiam.

℟. ad I. Augustinum primo loco asserere Deum voluisse prius ostendere, quid posset liberum arbitrium tum hominis, tum Angeli, quia prius voluit permittere & aliquorum Angelorum & hominis peccatum, deinde voluit ostendere gratiam

(a) *De correp. & grat. Cap*, 10.
(b) *Ezech.* 28.
(c) *Lib.* 32. *Moral. Cap.* 23.

& misericordiam suam tum erga Angelos bonos illos in sanctitate confirmando, tum erga homines illos a peccato liberando: in malos vero Angelos voluit ostendere justitiam, illos ad æternas pœnas damnando. Alio loco id tantum innuit, quod Angeli mali, si non peccassent, habuissent abundantem & consummatam gratiam, scilicet confirmationem in eadem gratia, & ipsius augmentum. Ergo &c.

Ad II. ℟. S. Gregorium vel loqui non de charitate simpliciter, sed de charitate aucta per merita, ut indicat illud *repleri*, vel loqui de charitate per beatitudinem & gloriam consummata, qua utique nunquam sunt repleti Angeli mali. Sane S. Gregorius ita non potest intelligi, ut neget Angelis malis collatam fuisse gratiam sanctificantem, alias sibi contradiceret, cum contrarium asserat locis in probationibus adductis. Ergo &c.

Si igitur omnes Angeli aliquando gratiam sanctificantem habuerunt, habueruntne illam, cum primo creati sunt, an vero postea?

Plures antiqui docuerunt Angelos primo creatos fuisse absque gratia sanctificante, quam postea per actus bonos meruerunt. Recentiores communius illos docent gratia sanctificante donatos in instanti creationis: & hæc est sententia S. Thomæ, quem tamen Gotti contendit voluisse Angelos illam accepisse per propriam dispositionem, quatenus in primo instanti creationis gratia actuali excitati se converterunt ad Deum, & hoc posito illis infusa est gratia sanctificans, quæ quidem, admissa hac sententia, potest dici illis infusa in instanti creationis, quia statim ac extiterunt, ad Deum conversi sunt, & statim ac conversi sunt, gratiam sanctificantem obtinuerunt, unde istud instans creationis potius sumitur moraliter, quam physice, & idem tunc est ac si dicatur: fere statim ac creati sunt Angeli, gratiam sanctificantem habuerunt. Ita autem explicata hac secunda sententia parum mihi eadem videtur differre a prima, cum neque priores velint

lint Angelos diutius distulisse conversionem ad Deum, quam consecuta est gratia habitualis.

Ipse breviter dico probabiliorem videri sententiam asserentium, Angelos in creatione accepisse gratiam sanctificantem; hoc enim videntur indicare quæ in probationem superioris conclusionis adducta sunt, ut consideranti patebit.

An vero talem gratiam habuerint Angeli dependenter ab illorum cooperatione, ut vult S. Thomas, an immediate ex dono Dei & simul cum natura, difficile est definire. Ad summum poterit prius dici probabilius, tum ex quo hoc admisso magis videatur consultum nobilitati Angelorum, cum præstantius sit acquirere gratiam habitualem per propriam cooperationem, quam independenter ab illa: tum ex quo potius dicendum videatur Angelis cum libero arbitrio creatis concessam fuisse gratiam, ut adultis hominibus conceditur pollentibus libero arbitrio, quam ut conceditur parvulis libero arbitrio destitutis, adeoque per illorum cooperationem: tum tandem ex quo, cum gratia habitualis secum trahat amicitiam Dei, congruentius videtur, ut hanc amicitiam Deus cum Angelis contrahere noluerit, nisi dependenter ab illorum libero consensu.

Cohærenter ad notata articulo superiore hic adverto, gratiam sanctificantem inæqualiter fuisse Angelis collatam pro inæqualitate perfectionis naturalis ipsorum, idque ob rationem ibi indicatam.

Adverto etiam omnes Angelos simul cum gratia sanctificante accepisse habitus virtutum Theologicarum & moralium, nec non dona Spiritus S., reliqua uno verbo omnia, quæ gratiam sanctificantem comitantur juxta dicenda in Tractatu de gratia.

CAPUT SECUNUM.

De missione Angelorum, eorumque ministeriis circà homines.

AFferam hìc 1. quæ generaliter spectant ad missionem Angelorum, 2. quæ spectant ad custodiam, quam circa homines exercent.

ARTICULUS PRIMUS.

S. Gregorius Magnus, & post ipsum plures Theologi Angelos dividunt in *assistentes* & *ministrantes* nixi illi: (a) *Millia millium ministrabant ei & decies millies centena millia assistebant ei*: scilicet asserunt Angelos alios veluti ex officio throno Dei assistere, alios ab ipso ad exteriora ministeria mitti.

Hoc tamen debet solum intelligi de ordinaria providentia; nam omnes Angelos saltem extraordinarie ad homines mitti certum est juxta illud: (b) *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Et de facto Angeli etiam superiores, qui communiter inter assistentes numerantur, in Scripturis quandoque dicuntur mitti. Ita (c) Michael dicitur missus ad adjuvandum alium Angelum: Raphael (d) missus est ad Tobiam: Gabriel (e) missus est ad Mariam: & hi omnes sunt ex supremo ordine, & ex illis, qui astant coram Domino (f). Pariter dicitur (g) Seraphim missus esse ad tangendum os Isaiæ, & legimus (h) Deum collocasse ante portam Paradisi Cherubim, ut illum custodiret, atque ab ejusdem ingressu homines arceret.

AR-

(a) *Daniel.* 7. (b) *Hebr.* 1.
(c) *Daniel.* 10. (d) *Tob.* 5.
(e) *Luc.* 1. (f) *Tob.* 12.
(g) *Isa.* 6. (h) *Gen.* 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Sancti Angeli ad custodiam hominum aliqualiter destinantur*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis, ubi dicit Jacob: (a) *Angelus, qui eruit me de cunctis malis* &c.: & Judith: (b) *Custodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem*. Alibi dicitur: (c) *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*: rursus: (d) *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: & Christus: (e) *Angeli eorum ... semper vident faciem Patris*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Origenes ait: (f) *Angeli tenent curam animarum nostrarum, quibus ab infantia tanquam tutoribus & actoribus committimur*: S. Gregorius Nyssenus hæc habet: (g) *Postquam in peccatum natura nostsa lapsa est, non omnino a clementia divina neglecta, neque absque suo patrocinio dimissa, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquis in adminiculum cuique constitutus fuit*: S. Ambrosius inquit: (h) *Angelus in circuitu est hominis, quin prætendit, ne quis noceat ei*. Ergo &c.

Prob. congruentia, quam suggerit S. Petrus Damiani; non enim est nobis solum colluctatio adversus carnem & sanguinem, idest contra nostras rebelles passiones, sed etiam contra Rectores & Principes tenebrarum harum, idest contra Dæmones: (i) *Non posset autem*, inquit S. Doctor, *versutiæ tam callidi & exercitati hostis fragili-*

 gili-

(a) *Genes.* 48. (b) *Judith.* 13.
(c) *Psalm.* 33. (d) *Psalm.* 90.
(e) *Matt.* 13. (f) *Homil.* 8. *in Genes.*
(g) *Lib. de vita Moys.* (h) *In Psalm.* 38.
(i) *Ep.* 11. *ad Alex. II.*

gilitas humana resistere, nisi eos a tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret.

Obj. ex Scripturis. I. ipse Deus dicitur (a) custos hominum: *Quid faciam tibi o custos hominum?* Ergo non Angeli.

II. ex assertione sequeretur Angelos esse hominibus inferiores juxta illud: (b) *Major est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?* cum juxta assertionem Angeli ministrarent hominibus. Ergo &c.

℟. ad I. quod, licet Deus sit hominum custos, possunt tamen & Angeli esse custodes, ille primarius, hi secundarii ab ipso deputati, ut Deus est causa omnium, licet sæpe causis secundis utatur. Ergo &c.

Ad II. ℟. ministerium Angelorum erga homines non esse subjectionis; sed præsidentiæ; non enim ministrant ut servi domino, sed ut pædagogi & magistri puero. Ex hoc ergo ministerio non eruitur Angelos esse hominibus inferiores.

Assertio secunda. *Nedum hominibus generaliter, sed etiam singulis (dempto Christo & probabiliter etiam demptis Infantibus in uteris matrum existentibus) hominibus proprii assignantur Angeli custodes.*

Dictum est *dempto Christo* &c. nam Christus rigorose non habuit Angelum custodem, cum opus non haberet, ut custodiretur vel a Dæmonibus, vel a peccatis, vel ab aliis periculis; sua enim virtute ex his se custodiebat. Solum ergo Angelos habuit ministros & famulos juxta illud: (c) *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Est etiam sententia S. Thomæ, quod Angelus non deputetur hominibus, nisi in illorum nativitate; cum enim in uteris matrum degunt, censentur veluti pars matris, adeoque illis videtur sufficere Angelus ejusdem matris custos.

Hanc

(a) Job. 7. (b) *Luc.* 22. (c) *Matt.* 4.

Hanc assertionem ut probabilissimam & moraliter certam tuentur omnes Catholici contra Calvinum, qui maxima temeritate ausus est asserere custodiam Angelorum jam explicatam esse inane Catholicorum commentum.

Duæ autem distingui possunt conclusionis partes: prima est quod singuli homines habeant Angelum aliquem in custodem: secunda quod singulis hominibus proprii assigentur Angeli custodes.

Prima pars prob. ex hodierno Ecclesiæ sensu, quæ festum SS. Angelorum custodum instituit & celebrat.

Prob. ex fere unanimi Patrum & Theologorum modernorum sententia, qui hanc custodiam defendunt. Ex Patribus aliquos tantum, missis brevitatis studio cæteris, hic afferam. Id in primis docet S. Gregorius Nyssenus loco supra laudato: rursus S. Hieronymus in illud: (a) *Angeli eorum semper vident* &c. ait: (b) *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum*: S. Anselmus inquit: (c) *Unaquæque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur*: & S. Bernardus inquit: (d) *Putemus Angelos dici .... qui singuli singulis hominibus dati creduntur*. Ex Theologis porro nullum reperies, qui hanc custodiam non defendat.

Dixi primam hanc partem probari *ex fere unanimi Patrum consensu*; sunt enim aliqui pauci asserentes solis fidelibus Angelum custodem designari, ut Basilius, Hilarius, Anastasius Synaita, & Chrysostomus. Sed his demptis alii omnes, qui de hac re locuti sunt, nobis favent.

(a) *Matt.* 18.
(b) *Lib.* 3. *Cap.* 18. *in Matt.*
(c) *Lib.* 2. *Elucidar. cap.* 27.
(d) *Lib.* 5. *de Consider. Cap.* 4.

Prob. congruentia; si qui enim essent, de quibus dubitabile esset, an Angelorum donentur custodia, maxime essent infantes, peccatores, infedeles, & reprobi. Sed congruentissimum est, ut hi omnes & singuli habeant Angelum custodem. Ergo &c Prob. minor; nam quod ad infantes spectat, congruum videtur, ut ipsis præsto sit Angelus custos, qui eos defendat ab infestatione malignorum spirituum, & curet, ut ipsis applicetur Baptismus, ac sensim disponantur ad bonum suo tempore prosequendum. Idem proportionaliter valet de peccatoribus, infidelibus, ac reprobis; & isti enim pertinent ad eam generalem voluntatem, qua vult Deus omnes homines salvos fieri. Æquum ergo est, ut eis subministret illud quoque auxilium, quod ab Angeli custodia proficiscitur. Præterea homines justos Diabolus nunquam in hac vita deserit, sed eis semper insidiatur, ut in peccata labantur. Congruum ergo est divinæ misericordiæ, ut qui gratia exciderunt, non destituantur Angelorum auxilio, quo ad bonam frugem reducantur. Quod confirmari potest ex quo Deus Judæis Angelum custodem promittens subdit: (a) *Non dimittet, cum peccaveris*. Ergo &c.

Secunda autem pars ab aliquibus probatur ex illo supra relato, ubi dicitur: (b) *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: & ex quo, (c) cum fideles simul essent congregati, puellæ nuntianti, Petrum jam è carcere ab Angelo liberatum stare præ foribus, responderunt *non ipsum sed Angelum ejus esse*; hi enim modi loquendi *Angelus ejus*, *Angeli eorum* ostendunt non unum esse Angelum, qui omnes homines custodiat.

Sed hæc loca probant quidem non unum esse Angelum, qui omnes homines custodiat, sed invicte non probant singulos homines habere pro-

prium

(a) *Exod.* 23. (b) *Matt.* 18. (c) *Act.* 12.

prium Angelum custodem; illa enim videntur salvari posse, etsi plures homines uni Angelo dentur custodiendi, alii plures alteri Angelo, & sic deinceps. Maximum ergo hujus rei argumentum est hodiernus sensus fere communis Theologorum & Fidelium, qui tenent singulos homines proprium Angelum custodem habere.

Obj. pro sententia Calvini ex Scripturis I. Effectus custodiæ Angelorum describuntur iis verbis: (a) *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te &c.* Omnes autem homines tales effectus non experiuntur. Ergo &c.

II. Angeli dicuntur destinati ad custodiendos dumtaxat prædestinatos; legitur enim (b) Angelos *in ministerium mitti propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

III. Angeli dicuntur (c) deseruisse peccatores. Ergo &c.

℟. ad I. effectus recensitos non esse effectus generalis custodiæ, quam habent Angeli de singulis hominibus, sed peculiaris, quam habent de electis, quos ut res pretiosissimas maxima custodiunt cura. Præterquamquod, etsi de omnibus id generaliter esset dictum, responderi etiam posset verba Psalmi metaphorice esse intelligenda, & ut indicent Angelos ex se curam de hominibus habere, ne aliquid mali præsertim spiritualis patiantur. Sed cum hæc cura non auferat ab eis liberum arbitrium, cumque semper remanere debeat in potestate Dei mala etiam physica hominibus infligere ad pœnam, vel exercitationem eorum; proinde ex custodia Angelorum non semper mala physica aut moralia ab hominibus arcentur.

(a) *Psalm.* 90.
(b) *Heb.* 1.
(c) *Isai.* 5. *&* *Jerem.* 51.

Ad II. ℟. primo ideo Angelos dici missos propter electos, quia præcipue pro electis sunt destinati: secundo illud *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* explicari posse, *ut hæreditatem capiant salutis* (subintellige *homines*), quod utique est verissimum; nam propter hoc Angeli ad nostram custodiam deputantur.

Ad III. omisso quod ibidem sermo sit de Angelis ℟. illos deseruisse peccatores eo proportionaliter modo, quo eosdem peccatores dicitur Deus deserere. Sicuti ergo hic dicitur deserere peccatores, cum eis non assistit peculiari providentia juxta dicta in Tractatu de Deo, ita etiam possunt dici Angeli sic deserere peccatores in pœnam admissorum criminum.

Quæ de Angelorum custodia dicta sunt, probabilius valent primo circa Protoparentes in statu innocentiæ constitutos, cum maxime & tunc esset utilis hæc custodia respectu illorum, ut arcerentur a peccato: imo etiam, si perseverasset status innocentiæ, perseverasset hæc custodia tum pro tempore, quo homines nondum fuissent confirmati in gratia ob rationem adductam, tum pro tempore, quo fuissent confirmati, quia hæc custodia fuisset ordinata, ut magis semper magisque in bonis operibus & merito crescerent: secundo valent etiam circa Deiparam (cui S. Bernardus (a) existimat fuisse assignatum Gabrielem) saltem ut Angeli præsentia recrearetur, & adjuvaretur ministerio: tertio valent etiam circa Antichristum (quidquid contra dicant aliqui), idque ob rationes supra generaliter adductas pro custodia peccatorum & reproborum. Non autem valent pro animabus a corporibus separatis, nam, si sunt damnatæ, non sunt capaces ullius Angelici beneficii, si beatæ, illo non indigent: purgan-

(a) *Epist.* 77.

gantes cum non sint amplius in via, nec a fine possint deficere, & ipsæ custodia Angelorum non indigent. Probabile tamen est Angelos, qui fuerunt illarum custodes, curam illarum gerere, ut quamcitissime mediantibus viventium suffragiis a pœnis liberentur.

Verisimile etiam est singulis quoque Populis, Regnis, Provinciis, & Civitatibus &c. fuisse a Deo destinatos Angelos custodes, quod videtur colligi ex mentione, quæ (a) fit de Angelo Regni Persarum, & de Angelo Regni Græcorum.

Sed etiam rebus inanimatis videntur peculiares Angeli in custodes deputari, nam habetur mentio (b) de Angelo præposito igni, & de Angelo præposito aquis: unde S. Augustinus ait: (c) *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam.*

Custodia, quam de hominibus habent sancti Angeli, importat, ut varia pericula tum animæ, tum corporis ab illis arceant, ut compescant Dæmones, ne illis noceant, ut offerant hominum preces ad Deum (quatenus illis proprias preces addant), ut etiam insciis clientibus multa illis bona a Deo obtineant, & alia hujusmodi.

Ex dictis de Angelorum custodia patet falsum esse quod quidam antiqui Theologi asseruerunt, scilicet non solum Angelum bonum a Deo fuisse singulis hominibus assignatum, sed etiam Angelum malum; dedecet enim divinam bonitatem, ut, postquam tot beneficiis homines cumulavit, laqueos illis præparet, quibus capiantur. Et quamvis velit, ut homines contra Diabolum certent, habent tamen isti occasionem certandi, etsi singulis non destinet Angelum tentatorem, dummodo tamen permittat, ut tententur: præ-

(a) *Dan.* 10.
(b) *Apoc.* 14. & 16.
(c) *Lib.* 83. *quæst. quæst.* 79.

cipue cum videatur probabile tentatorem cuique esse destinatum a Principe Dæmonum, qui in omnibus studet homines ad malum trahere modis iis similibus, quibus illos ad bonum trahit Deus. Huic opinioni favent etiam aliqui Patres.

DISSERTATIO III.

De peccato & pœnis Dæmonum.

DIssertationis hujus duplex erit caput. In 1. expendam quæ spectant ad peccatum Dæmonum: in 2. quæ spectant ad pœnas istius peccati.

CAPUT PRIMUM.

Expenduntur quæ spectant ad peccatum Dæmonum.

TRia hic inquiram: 1. quandonam Angeli mali peccaverint: 2 quinam ex Angelis peccaverint: 3. per quid peccaverint.

ARTICULUS PRIMUS.

Lis est inter Thomistas & Scotistas an Angeli peccare potuerint in primo instanti, quo exstiterunt. Negant illi, hi affirmant. Ipse in quæstione parvi momenti sic breviter procedo. Si nomine primi instantis intelligatur primum punctum temporis ita indivisibile, ut uni tantum Angelorum operationi possit correspondere, videtur sane adhærendum D. Thomæ; cum enim, antequam aliquis peccet, requiratur, ut illi proponatur objectum

jectum sub ratione boni & mali, videtur hujus objecti cognitio aliquo modo præcedere peccatum, unde primo instanti considerato ut supra potest solum correspondere hæc cognitio, consequenter electio solum in secundo instanti potuit haberi. Et sane pro hac sententia optime stat ratio D. Thomæ, quod scilicet alias peccatum esset tribuendum Deo. Cum enim peccatum in primo instanti patratum non videatur actio libera, cumque prima actio non libera alicujus agentis sit tribuenda illius artifici, jam patet hoc peccatum Deo in hypothesi fore tribuendum. Igitur si primum instans accipiatur modo jam explicato, videtur impossibile, quod Angeli in illo peccaverint, sicuti videtur etiam impossibile, quod meruerint.

Si vero primum instans accipiatur pro primo puncto temporis considerato tantum moraliter & divisibiliter, ita ut non uni tantum, sed pluribus possit operationibus respondere, quomodo posse accipi infra declarabitur, non video quare negetur Angelos potuisse in illo peccare; certum est enim in hoc instanti sic considerato illos fuisse liberos ad peccandum, adeoque peccare potuisse.

Illorum autem peccatum posse in hypothesi dici factum in primo instanti patet; nam, licet ex dictis prærequiratur advertentia, erant tamen Angeli intellectu tam perspicaces & voluntate tam prompti, ut potuerint posita illa cognitione statim se convertere ad malum, & ita statim, ut potuerint dici peccasse in primo instanti considerato moraliter, quatenus moraliter dicuntur fieri *statim*, quæ *fere statim* fiunt.

Sed vel potuerint peccare in primo istanti, vel non, revera non sic peccaverunt; nam constat ex Scriptura (a) Luciferum, quem Deus sub Persona Regis Tyri alloquitur, fuisse prius perfectum, deinde in illo inventam esse iniquitatem: rur-

(a) *Ezech.* 28.

rursus constat (a) Dæmones non servasse suum principatum, & dereliquisse suum domicilium. Ergo prius principatum habuerant & domicilium felicitatis habitaverant: rursus (b) Diabolum in veritate non stetisse, quod supponit ipsum in veritate aliquando fuisse.

Concilium quoque Bracarense II. dicit anathema asserentibus (c) Diabolum non prius fuisse Angelum bonum, quam malum. Et S. Cyprianus inquit (d) Dæmonem aliquando fuisse Deo carum: & S. Augustinus (e) advertit Dominum non dixisse: *A veritate alienus fuit, sed in veritate non stetit, ubi a veritate lapsum intelligi voluit, in qua utique si stetisset, ejus particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret.* Loca autem adducta cum supponant omnibus Angelis aliquando concessam fuisse gratiam sanctificantem; cumque ex dictis verisimilius hæc illis concessa fuerit dependenter ab illorum cooperatione, patet antecedenter ad gratiam fuisse in omnibus hanc cooperationem, adeoque actum bonum, cumque antecedenter ad peccatum fuerit gratia; antecedenter etiam ad peccatum fuit hic actus bonus. Ergo &c.

Ex his patet, quam perperam asseruerint Manichæi & Priscillianistæ Dæmones esse natura malos; nam ex dictis ipsi fuerant prius boni, & deinde per arbitrium proprium effecti sunt mali: unde merito hi Hæretici damnati sunt tum in Carthaginensi VI. tum in Bracarensi supra relato, tum in Lateranensi IV. (f) ubi definitum est, *Diabolum & Dæmones alios a Deo quidem natura creatos esse bonos, sed ipsos per se factos malos.*

Tres

(a) *Ep. Jud.* (b) *Joann.* 8.
(c) *Can.* 7. (d) *De Zelo*,
(e) *Lib.* 11. *de Civit. Dei Cap.* 13.
(f) *Cap.* Firmiter.

Tres igitur distingui possunt moræ Angelorum, quarum duæ correspondent illorum viæ, alia termino. Prima importat tempus, quo omnes fuerunt in gratia, & hæc mora fuit brevissima, ac unico fortasse morali temporis instanti correspondet: secunda importat tempus, quo mali peccaverunt persistentibus bonis in gratia, & hæc probabiliter pluribus instantibus correspondet; nam probabile videtur quod, sicut Angeli boni adhuc in via existentes multos successive actus bonos exercuerunt, ita mali adhuc in via existentes multos successive actus pravos admiserint. Præterea hoc item videtur innui per illa: (a) *Factum est prælium magnum in cælo;* nam cum hoc prælium in hoc etiam constiterit, quod Dæmonum peccatum fuerit bonis tentatio, patet hanc tentationem supposuisse peccatum, cumque & tentatio & peccatum hanc secundam moram ingressa sint, patet hac secunda plura instantia fuisse comprehensa: quod multo magis dicendum, si cum aliquibus asseratur aliquod spatium pœnitentiæ post peccatum Angelis fuisse concessum. Tertia tandem mora importat tempus, quo Angeli fuerunt in termino, boni quidem in patria, mali autem in damnatione, & hæc duratura est in æternum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qninam fuerint Angeli peccatores modo videndum. Non defuere Patres, qui dixerint primum Angelum peccatorem non fuisse supremum inter omnes, sed tantum supremum ex illis, qui his inferioribus rebus præsunt. Communior tamen sententia docet ipsum fuisse supremum omnium, idest primum in ordine Seraphim.

Hoc colligitur ex Scripturis; nam de illo dicitur: (b) *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui ma-*

(a) *Apoc.* 12. (b) *Isai.* 14.

mane oriebaris? Primus enim Angelus peccator dicitur Lucifer, sumpta metaphora a stella, quæ omnes alias formositate superat. Et alibi de eodem: (a) *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei . . . . . omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi & pulchritudini ejus.*

Colligitur etiam ex aliis Patribus; nam Tertullianus (b) primum Angelum peccatorem vocat *eminentissimum Angelorum, & Archangelum omnium sapientissimum:* & S. Gregorius Magnus expendens verba Ezechielis supra relata inquit: (c) *Qui accipi in cedris, abietibus, & platanis possunt nisi illa virtutum cælestium proceræ celsitudinis agmina in æterna lætitiæ viriditate plantata? quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata . . . . Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum Spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.* Et S. Bernardus inquit: (d) *Superbia. . . . non modo Angelum, sed Angelorum primum in Diabolum commutavit.*

Si forte objiciatur primum Angelum peccatorem dici (e) *Cherub* non *Seraphim*, ℞ cum S. Thoma Diabolum per peccatum amisisse charitatem, non scientiam. Cum autem nomine *Seraphim* importetur *ardens charitate*, nomine *Cherubim plenus scientia*, ideo non Seraphim, sed Cherubim dicitur.

Peccante primo multi alii ex inferioribus Angelis peccaverunt; de Diabolo enim sub figura Draconis dicitur, (f) *quod cauda ejus traxit tertiam partem stellarum:* rursus: (g) *Factum est*

præ-

(a) *Ezech.* 31. (b) *Lib.* 2. *contr. Marc.*
(c) *Lib.* 32. *Moral. Cap.* 23.
(d) *Serm.* 1. *de Advent.* (e) *Ezech.* 28.
(f) *Apoc.* 12. (g) *Ibid.*

prælium magnum in cælo: Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt &c.: & alibi: (a) *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.*

Hoc ipsum innuunt Patres, ut Ambrosius, qui inquit, (b) *Diabolum, qui quoniam sua, quam a Creatore suo acceperat, potentia dignitate sibi placuit, cum his Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat, a cælesti sublimitate dejectum esse:* & S. Bernardus ita Diabolum alloquitur: (c) *Tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cælestis patriæ pacem, ipsius (quantum in te est) quietem Trinitatis infestas. Quo te tua miser curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites civibus scandalum, injuriam facere Regi?*

Ex his patet nedum primo Angelo peccante alios quoque peccasse, sed etiam ab ipso alios vel exemplo, vel adhortationibus inductos fuisse ad peccandum.

Probabile quoque est Angelos peccatores non omnes ex uno ordine fuisse, sed plures ex variis ordinibus; nam Scriptura Dæmonibus nomina variorum ordinum tribuit, ut Virtutum, Principatuum, & Potestatum: ait enim Paulus: (d) *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes . . . . neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei.*

Quot fuerint qui peccaverint, incertum. Ex illo tamen supra relato *cauda ejus &c.* docent Theologi pauciores fuisse qui peccaverunt, quam qui steterunt.

AR-

(a) *Matt.* 25.
(b) *Ep.* 55. *ad Demetr.*
(c) *De grad. humil.*
(d) *Rom.* 8.

ARTICULUS TERTIUS.

Controversum est, in quonam constiterit peccatum Angelorum. Aliqui Patres, ut supra innui, dixerunt illud fuisse carnale. Aliqui dixerunt illud in hoc constitisse, quod hominem induxerint ad peccandum: alii in hoc, quod inviderint dignitati hominis, qui & ipsi dividuntur; alii enim volunt Dæmones invidisse homini, quod hic ad imaginem Dei formandus esset: alii quod prævidissent Verbum humanam potius, quam Angelicam naturam assumpturum: alii quod prævidetint homini concedendum principatum in aspectabilia, quem ad se pertinere existimabant. Communius tamen Patres dicunt peccatum Angelorum fuisse superbiam.

Ex Scholasticis tres inter alias circumferuntur celebres opiniones, quorum prima est S. Thomæ docentis primum Angelorum peccatum fuisse superbiam: altera Scoti docentis illud fuisse inordinatum suorum amorem, & quandam, ut ipse ait, luxuriam spiritualem consistentem in inordinata delectatione de propria excellentia: tertia tandem aliorum, qui dicunt fuisse inobedientiam. Quid ipse sentiam sequens declarabit

Assertio. *Probabilius primum Angelorum peccatum fuit superbia.*

Prob. ex Scriptura. I. ibi dicitur: (a) *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio:* & alibi: (b) *Initium omnis peccati est superbia*. Cum initium omnis perditionis fuerit peccatum Angelorum, cumque hoc initium ductum sit ex allatis textibus a superbia, patet in superbia constitisse Angelorum peccatum: II. sub per-

---

(a) *Tob.* 4. (b) *Eccl.* 10.

persona Regis Assyriorum, ut explicant Patres, describitur Angelorum peccatum his verbis: (a) *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris . . . Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti &c.*; rursus de Diabolo dicitur: (b) *Elevatum est cor tuum in decore tuo*: tandem idem dicitur: (c) *Rex super universos filios superbiæ*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus, quos tantum adduco, ut pateat plures ex his stare pro posita assertione. S. Athanasius de Diabolo inquit; (d) *Superbia ipsum in inferiores abyssi partes præcipitavit*: Chrysostomus explicans illud Apostoli: *Ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli*, subdit: (e) *Hoc est, ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit*: S. Augustinus de Diabolo inquit: (f) *Continuo se a luce veritatis avertit superbia tumidus*: & alibi: (g) *Illud, quod ab initio Diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum*: S. Cyrillus Alexandrinus de eodem: (h) *Cecidit*, inquit, ... *tumida & turgida cogitans, & honorem ac gloriam soli summæ naturæ congruentem rapere cupiens*: S. Gregorius, postquam retulit Christum Discipulis sibi dicentibus (i) *Domine etiam Dæmones subjiciuntur nobis in nomine tuo*, respondisse: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, hæc habet: *Ut*

(a) *Isai.* 14.
(b) *Ezech.* 28.
(c) *Job.* 41.
(d) *Orat. de Virginit.*
(e) *Homil.* 10. *in Cap.* 3. 1. *ad Timoth.*
(f) 11. *de Genes. ad litt. Cap.* 23.
(g) 11, *de Civit. Dei Cap.* 15.
(h) *Lib.* 2. *in cap.* 14. *Isai.* (i) *Luc.* 10.

(a) *Ut in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit, ut in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent*: tandem S. Bernardus: (b) *Fugite*, inquit, *superbiam . . . . quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in Diabolum commutavit*.

Prob. ratione, quæ tamen potius est confirmatio præcedentium probationum. In rebus facti, quæ nobis non innotescunt, nisi per Scripturam & Patres Scripturæ interpretes, nihil debemus asserere, nisi quod Scriptura & Patres nobis manifestant, aliter non ratiocinamur, sed divinamur. Licet ergo pluribus ex recensitis modis potuerint Angeli peccare, non est tamen asserendum eos aliquo determinato modo peccasse, nisi id ex Scriptura constet, & saltem ex communiori Patrum: cumque ex Scriptura & communiori Patrum solum constet Angelos peccasse superbia, ideo hoc potius peccato, quam alio eos peccasse dicendum est.

Dixi *pluribus ex recensitis modis Angelos potuisse peccare*, quod ad assertionis claritatem & confirmationem est ulterius explicandum. Ex sententiis enim supra relatis aliæ debent absolute rejici, ex quo constituant peccatum Angelorum in eo, in quo non potuit consistere: aliæ ex quo nec Scripturis nec Patribus nitantur: aliæ tandem non debent absolute rejici, sed cum aliqua limitatione possunt acceptari, & cum posita assertione conciliari.

Ad primam classem spectat tum sententia docens primum Angelorum peccatum fuisse carnale (tale enim esse non potuisse, supra probatum est,) tum quæ docet illud constitisse in inductione hominum ad peccatum, cum ex communi ante creationem hominis Angeli peccassent. Ad hanc pariter

---

(a) *Lib. 23. moral. cap. 6.*
(a) *Serm. 1. de advent.*

ter classem spectat sententia docens Angelorum peccatum constitisse in hoc, quod homini inviderint vel ex quo hic ad imaginem Dei esset formandus, vel constituendus princeps aspectabilium; nam & ipsi aliquo modo ad imaginem Dei formati erant juxta illud supra relatum: *Tu signaculum similitudinis &c.* Et præterea sciebant propriam naturam humana esse longe superiorem.

Rursus cum ipsi essent spirituales, non apparet cur principatum affectaverint super res materiales: deinde noverant se esse constituendos principes super homines, adeoque futuros principes principum rerum aspectabilium. Quomodo ergo homini ob hunc principatum poterant invidere?

Ad secundam classem revocari fortasse debet sententia docens Angelorum peccatum fuisse invidiam in homines, ex quo Verbum humanam potius, quam Angelicam assumpturum esset naturam, quia nulla videtur in hoc implicantia; sed in Scripturis de hac invidia nulla fit mentio, & vix unus vel alter ex Patribus eam adduxit.

Dictum est hanc sententiam ad secundam classem *fortasse* revocari posse; nam cum sit incertum ex supra visis, an Angelis fuerit revelata incarnatio, incertum pariter est, an hæc sententia ad primam, an ad secundam classem debeat revocari. Si enim non fuit revelata, revocanda erit ad primam, si fuit revelata ad secundam, ex quo præcise de tali invidia non habeatur sufficiens fundamentum.

Addo quod, etsi constaret Dæmones taliter homini invidisse, adhuc salveretur posita assertio, cum invidia ut sui causam agnoscat superbiam; invidia enim consistit in hoc, quod alicui bonum displiceat, quo alter gaudet, ex quo sit diminutivum excellentiæ invidentis. Inordinata ergo affectatio propriæ excellentiæ, adeoque superbia est radix invidiæ. Ita explicata hæc sententia ad tertiam ex adductis classibus posset revocari.

Ad hanc tertiam classem pariter revocari potest opinio Scoti, si dicamus inordinatam Angelo-

lo-

lorum amicitiam erga se ipsos ad rationem tantum genericam spectasse peccati illorum, non ad rationem specificam. Scilicet inordinatus sui amor in omni peccato reperitur; nullum enim peccatum committitur, in quo peccator non diligat semetipsum inordinate, cum nullus peccet, nisi in commodum, vel delectationem sui. Hic autem amor indifferens est ad constituendum quodcumque peccatum, ut E. G. gulæ, superbiæ, vindictæ, &c. ita ut si ex amore isto quis velit delectationem inordinatam per cibum, habeatur peccatum gulæ, si per venerea, habeatur luxuria corporalis, si per depressionem inimici, habeatur peccatum vindictæ; sicque si velit nimiam sui excellentiam, habeatur peccatum superbiæ, ut de facto habitum est in Dæmonibus. Ex quo patet non esse absolute rejiciendam sententiam Scoti, sed revocari posse ad sententiam nostram dicendo, in peccato Angelorum fuisse quidem inordinatum amorem erga se ipsos, sed hunc amorem fuisse talem determinatum amorem, qui nimirum est proprius peccati superbiæ.

Ad hanc pariter tertiam classem spectare videtur opinio statuentium peccatum Angelorum fuisse inobedientiam; inobedientia enim & ipsa est ratio generica, quæ includitur in omnibus peccatis, cum qui peccat, semper sit legi Dei inobediens, Qui ergo asserunt peccatum Dæmonum fuisse inobedientiam, verum quidem asserunt, sed remanet ulterius inquirendum, in quonam Dæmones fuerint inobedientes, quod nos assignamus dicendo illos fuisse inobedientes per hoc, quod superbierint.

His positis facile videtur objectionibus occurrere, quæ contra assertionem statutam fieri possunt. Sed remanet ulterius inquirendum, quodnam fuerit objectum superbiæ Angelorum. In hoc quoque dissentio. Aliqui volunt, quod Diabolus affectaverit æqualitatem cum Deo: alii quod noluerit Deo subjici quoad ministeria sua exercenda: alii quod affectaverit beatitudinem supernaturalem acquirendam per naturæ vires: alii quod

bea-

beatitudinem naturalem ad Deum noluerit referre: alii quod affectaverit unionem hypostaticam Verbi cum Angelica natura: alii quod affectaverit divinos honores: alii etiam aliter rem explicant.

Ut aliquid circa hoc statuam, noto 1. Scripturam de peccato Dæmonum loquentem asserere eos affectasse similitudinem cum Deo. Id innuunt loca supra adducta: *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum: similis ero Altissimo*.

Noto 2. Dæmones non affectasse hanc similitudinem actu tantum conditionato, sed absoluto, non enim dixit Lucifer: *conscenderem*, *exaltarem solium meum*, *similis essem*; sed dixit: *conscendam*, *exaltabo*, *similis ero &c.*

Noto 3. actum hunc absolutum habere non potuisse pro objecto aliquid cognitum ut absolute impossibile; licet enim posset voluntas tendere per desiderium in aliquid cognitum ut impossibile, non tamen potest in illud tendere nisi per actum conditionatum. Ita E. G. potest quidem justus desiderare se non peccasse, cum de facto peccavit, sed solum per actum, quo dicat *vellem*, non per actum, quo dicat *volo*. Cum ergo ex visis per actum absolutum voluerint Dæmones similitudinem cum Deo, cumque omnimoda similitudo cum Deo fuerit impossibilis, & talis ab ipsis cognita, sequitur, quod hanc omnimodam similitudinem non potuerint appetere.

Appetierunt igitur similitudinem aliquam possibilem & quidem ab eis agnitam ut talem. Cæterum in quonam constiterit hæc similitudo, utrum inordinatio appetendi se teneret penes rem appetitam, ut si appetiissent beatitudinem supernaturalem ex viribus propriis, incertum est, cumque non appareat, unde lux aliqua his possit affulgere, satius videtur ignorantiam nostram fateri, quam divinando ulterius progredi.

Si quæras quomodo potuerint Angeli peccare, qui pleni erant scientia, cum tamen in peccato sem-

semper involvatur error juxta illud (a): *Errant qui operantur malum*.

℟. primo errorem rigorose quidem non nisi in intellectum cadere posse, minus tamen rigorose posse cadere etiam in voluntatem, quæ dicitur errare, cum vel facit, quæ facere non deberet, vel non facit quæ deberet facere. Hoc posito patet compatibilem fuisse errorem Angelorum cum ipsorum scientia; ille enim ad voluntatem, hæc pertinet ad intellectum.

℟. secundo etiam errorem quoad intellectum stare potuisse cum scientia Angelorum, si modo fuerit voluntarius, idest cum Angeli essent liberi, poterant convertere considerationem ad delectabilitatem objecti inhonesti negligendo considerationem turpitudinis illius, quo casu illud apprehendissent ut eligibile, adeoque errassent etiam quoad intellectum, sed errore, ut patet, voluntario & libero, quem potuissent a se amovere considerando in ipso objecto rationem turpitudinis.

CAPUT SECUNDUM.

De pœnis Dæmonum.

AGam hic 1. de pœna sensus & damni: 2. de reliquis pœnis & quidem de pœnis Dæmonum agam præcipue quatenus sunt illis peculiares; de pœnarum enim rationibus, quæ sunt tum illis, tum hominibus impiis communes, agam in Tractatu de homine.

ARTICULUS PRIMUS.

Certum est Angelos malos post peccatum è cœlo fuisse expulsos; post narratum enim illorum peccatum per illa: (b) *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabuntur*

(a) *Proverb.* 14. (b) *Apoc.* 12.

tur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus, subditur: *Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo*. His verbis patet eos exclusos fuisse a visione beatifica. An vero in Infernum omnes fuerint ex tunc detrusi, non est tam facile definire.

Difficultas ex eo oritur, quod Scriptura videatur aliquando expresse docere omnes Angelos malos jam fuisse in Infernum detrusos; dicitur enim: (a) *Deus Angelis peccatoribus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos in judicium reservari*: & alibi: (b) *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*. Idipsum pariter videntur suadere congruentiæ ex Scriptura desumptæ; ex hac enim colligitur animas impiorum in termino constitutas statim ad Infernum detrudi juxta illud: (c) *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt*: & illud: (d) *Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno*. Congruum igitur apparet, ut Angeli quoque mali in termino constituti ad Infernum fuerint detrusi. Hoc idem docent multi Patres & omnium fidelium sensus, qui existimant Dæmones esse in Inferno, ibique & cruciari & cruciare animas damnatorum.

Sed rursus alibi Scriptura videtur innuere Dæmones non nisi post ultimi judicii diem in Infernum esse detrudendos. Sic Christus inducitur in die judicii dicens reprobis: (e) *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: ubi vox *paratus* indicat pœnam ignis in die judicii considerandam respectu

(a) 2. *Petr.* 2. (b) *Ep. S. Jud.*
(c) *Job.* 21. (d) *Luc.* 16.
(e) *Matt.* 25.

Dæmonum ut futuram, adeoque ut futuram etiam detrusionem in Infernum: rursus cum Christus venisset in regionem Gerasenorum, Dæmonia duos homines illius regionis vexantia clamabant: (a) *Quid nobis & tibi Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos:* & alibi narratur Dæmones (b) Christum rogasse, *ne imperaret illis, ut in abyssum irent*. Tempore igitur Christi Dæmones nondum erant in abyssum detrusi, & si tunc non erant, non est cur dicamus eos detrudendos, nisi post ultimi judicii diem: præsertim cum sententia contra ipsos sit ferenda ultimo judicio a Christo simul cum Sanctis juxta illud: (c) *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?*

Quid quod communius Patres docent aerem hunc esse Dæmonibus refertum? Sane S. Hieronymus explicans illud Apostoli: (d) *Est nobis colluctatio . . . adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, inquit: *Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum & terram medium dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*.

Duplex hæc inter se conciliandi occurrit via, primo dicendo non omnes Dæmones fuisse in Infernum detrusos, sed solum aliquos, permissis interim aliis in aere vagari ad hominum exercitationem detrudendis postea cum sociis post ultimi judicii diem: secundo & fortasse melius dicendo omnes quidem Dæmones fuisse in Infernum detrusos, sed non ita ut non possint egredi ad tentandos homines. Si tamen ab Inferno egrediuntur, non ideo pœnam evadunt; semper enim secum ferunt suum carcerem & tormenta eo fere modo, quo Bajazethes Turcarum Imperator a Tamerlane in cavea ferrea clausus huc illuc quidem fere-

---

(a) *Matt.* 8. (b) *Luc.* 8.
(c) 1. *Cor.* 6. (d) *Ephes.* 6.

ferebatur, ſed ſemper erat in carcere. Audiatur etiam circa hoc Beda, qui ait (a) Dæmones gehennæ incendio ita cremari, ut *ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſecum ferant ſemper tormenta flammarum, inſtar febricitantis, qui etſi in lectis eburneis, etſi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt. Sic ergo Dæmones etſi in templis colantur auratis, & ſi per aera diſcurrant, igne ſemper ardent gehennali.*

Quoniam autem aliquod malignorum ſolatium eſt poſſe aliis nocere, ideo aliquale ſolatium capiunt Dæmones ex quo poſſint ab Inferis egredi ad nocendum hominibus. Quo ſolatio cum ſciant ſe privandos poſt ultimi judicii diem, qua ita in Inferno claudentur, ut non poſſint amplius inde egredi, ideo maxime diem illam timent: præcipue cum ſciant ſe illa die ignominiam publicam paſſuros, cum a ſanctis hominibus, quos maximo odio proſequuntur, ſint judicandi (ex hoc tamen judicio ne colligas Dæmones ante illud non puniri, ſicuti nec ex ſimili judicio de hominibus reprobis faciendo ultima die colligi poteſt illos antea non puniri). Hinc Eccleſia ad fugandos Dæmones ſolet illis commemorare illam diem ita concludens preces exorciſmorum: *Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Alias etiam pœnas ſubierunt Dæmones tum in intellectu tum in voluntate. Quoad intellectum cognitiones quidem naturales non fuerunt illis ablatæ, cognitiones vero non naturales ſed gratuitæ, puta quæ ex ſpeciali Dei revelatione dependent,

(a) *Comment. in Cap. 3. Jacob.*

dent, quamvis non omnino sint eis ablatæ, sunt tamen valde imminutæ. Ita E. G. non est ablata omnino cognitio, quam habuerunt ab initio de Trinitate; licet enim ad cognoscendam Trinitatem requireretur revelatio Dei, & ad illam supernaturaliter credendam requireretur habitus fidei, sublato tamen hoc habitu non est penitus ablata cognitio illius Mysterii, sed remansit quædam, ut ita dicam, naturalis illius reminiscentia. Insuper liberorum consiliorum Dei pauca sciunt, ea scilicet, quæ Deus ab initio illis manifestavit, vel quæ in dies revelat, aut ad illorum majorem pœnam, aut in adimplementum alicujus muneris illis a Deo injuncti &c.

Quoad voluntatem hæc fuit donis supernaturalibus spoliata, & obfirmata in malo modo in Tractatu de homine afferendo, ubi obstinationis damnatorum causam assignabo. Hujus obfirmationis est effectus Deum odisse, & homines ab omni &c. honesto fugere, & semper ad malum & inhonestum declinare.

Potentia naturalis operandi non fuit illis ablata, sed in pluribus impeditur, & væ nobis, nisi ita impediretur; pro eo enim, quo nos prosequuntur odio, innumeris nos afficerent malis, quæ Deus vel immediate per se, vel per Angelos bonos a nobis avertit.

Nec pariter videtur immutatus ordo superioritatis, & inferioritatis, qui in illorum creatione fuit a Deo inter ipsos constitutus. Illi scilicet, qui in via erant superiores, superiores remanserunt, qui inferiores, inferiores. Hoc videtur innui ex illis Evangelii locis, ubi Beelzebub dicitur Princeps Dæmoniorum, & ubi fit mentio de regno Satanæ; principatus enim, & regnum important aliquorum superioritatem, & aliorum subordinationem. Hæc autem superioritas & subordinatio non videtur esse, nisi quæ erat etiam ante peccatum, cum nulla sit ratio, ob quam immutaretur. Et hæc satis de Angelis.

TRA-

TRACTATUS DE HOMINE.

TRactatum hunc in quatuor dissertationes divido. In prima de creatione primi hominis agam ejusque statu ante pecatum : in secunda de lapsu Adami : in tertia de statu hominum, qui erunt in novissimis diebus, seu de fine mundi : in quarta de statu animarum a corporibus solutarum.

DISSERTATIO I.

De creatione primi hominis ejusque statu ante peccatum.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. agam de creatione hominis quoad corpus : in 2. de illius creatione quoad animam, & de ejusdem animæ natura : in 3. de statu naturæ innocentis : in 4. de statu naturæ puræ.

CAPUT PRIMUM.

De creatione hominis quoad corpus.

EXaminabo hic 1. an Adam fuerit primus homo a Deo conditus : 2. expendam quæ spectant ad productionem corporis tum Adami, tum Hevæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Docuit sæculo proxime elapso Isaac Peyrerius, dum adhuc esset Calvinista, plures fuisse homines præadamitas, sive anteriores Adamo, qui solum ab ipso dicebatur Pater Hebræorum. Hanc sententiam alii etiam secuti sunt. Peyrerius tamen factus Catholicus illam retractavit. Contra hos sit

Assertio. *Nullus ante Adamum fuit homo, adeoque Præadamitarum systema est rejiciendum.*

Prob. ex Scripturis: I. ibi dicitur ante formationem Adami (a) *non fuisse hominem, qui operaretur terram.* Ergo non erant Præadamitæ, alias fuissent qui terram coluissent: II. dicitur prima mulier vocata (b) *Heva, eo quod esset mater cunctorum viventium,* idest hominum. At quomodo fuisset mater cunctorum hominum, si ante Adamum aliqui fuissent homines? III. de Sapientia dicitur: (c) *Hæc illum, qui primo formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Per illum autem, *qui dicitur formatus a Deo pater orbis terrarum,* quis alius venire potest, quam Adam, qui, *cum solus esset, custoditus est a* Deo, ne peccaret, & postquam cum conjuge peccavit, *eductus est* per Dei misericordiam *a delicto suo, & data est ei virtus continendi,* idest gubernandi omnia? Si ergo hic fuit constitutus a Deo primus pater orbis terrarum, ante illum non fuit alius homo: IV. Apostolus dicit omnes homines ab uno genus trahere, quod esset falsum, si Præadamitarum systema admitteretur, cum tunc alii ab Adamo descenderent, alii non: (d) *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super*

(a) *Gen.* 2. (b) *Gen.* 3.
(c) *Sap.* 10. (d) *Act.* 17.

per universam faciem terræ. Imo alibi expresse asserit Adamum esse primum hominem: (a) *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem*.

Prob. ratione: I. admisso Præadamitarum systemate non potest salvari omnes homines fuisse infectos originali, cum eatenus omnes sint illo infecti, quatenus ab Adamo descendunt, quod de omnibus, ut patet, non verificaretur: II. sequeretur Christum non esse omnium redemptorem, cum redemptor sit tantum eorum, qui fuerunt Adami filii. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Creatio Adami describitur per illa: (b) *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* & tamen ante hanc creationem fit mentio alterius creationis per illa (c): *Creavit Deus hominem . . . masculum & fœminam creavit eos*. Alii igitur fuerunt homines creati ante Adamum.

II. Quæ de Caino & Abele narrantur, ostendunt alios fuisse homines præter Adamum ejusque descendentes; nam dicitur Abel (d) pastor ovium, Cain vero agricola. Oves autem Abel non a lupis, a quibus sibi ipsi magis erat timendum, sed a furibus custodiebat. At a quibusnam furibus, si data veritate assertionis tunc soli erant in mundo Adam, Heva, Cain, & Abel? Pariter quomodo poterat Cain agriculturam exercere, quæ multa istrumenta supponit, adeoque multos artifices, quales esse non poterant supradicti? Præterea Cainum necem Abel meditantem ita allocutus est Deus (e): *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Per illud *in foribus peccatum aderit*, videtur denotari Cainum, si peccasset, rapiendum

(a) I. *Cor.* 15.
(b) *Gen.* 2.
(c) *Gen.* I.
(d) *Gen.* 4.
(e) *Ibid.*

esse ad Judices, qui antiquitus judicium exercebant in portis. Quinam autem erant hi Judices, si Abele occiso nullus alius tunc erat, nisi Adamus & Heva? Rursus postquam Cain occidit Abelem, timebat, ne ab omnibus occideretur; inquit enim: (a) *Ero vagus & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* At quem poterat timere, si nullus præter genitores suos homo extabat? Et sane si alii homines non fuissent, frustra Deus posuisset signum in Caino, ne occideretur, cum non deberet timere occisionem a parentibus suis nimium tristibus de amissione alterius filii, præsertim cum ipse fugerit in regionem a regione parentum suorum dissitam. Rursus dicitur Cainum (b) cognovisse uxorem suam. At quamnam uxorem, si stante assertione alia non erat in mundo fœmina, nisi Heva? Tandem dicitur Cainum (c) ædificasse civitatem; at quorumnam opera id fecit, a quibusnam erat habitanda hæc civitas? Num a familia Adami, quæ erat jam a familia Cain divisa? Num ab ipsa familia Cain, quæ duobus, vel tribus personis constabat? Alios igitur homines præter descendentes ab Adamo admittamus opportet. Præsertim cum narret Josephus Cainum ab Adamo separatum accivisse undique latrociniorum socios, quibus se ducem præbuit ad varia perpetranda facinora; hi autem non potuerunt esse nisi homines ab Adamo non descendentes. Ergo &c.

III. Inquit Apostolus: (d) *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Ex quibus duo pro

---

(a) *Ibid.*
(b) *Ibid.*
(c) *Ibid.*
(d) *Rom.* 5.

pro systemate Præadamitarum colliguntur argumenta. Primo nomine *legis* venit lex data Adamo de non comedendo pomo; non enim potest venire lex Moysis, ante quam peccatum imputabatur, ut patet in Caino, in Lamech, & in Sodomitis; Apostolus autem dicat, ante legem peccatum non fuisse imputatum. Porro ante hanc legem datam Adamo dicitur peccatum fuisse in mundo. Cum ego non fuerit in Adamo, qui solum peccavit post legem acceptam, dicamus oportet, illud fuisse in aliis hominibus ante Adamum; ac proinde hi homines erunt admittendi: secundo aliqui fuerunt homines mortales etiam non descendentes ab Adamo; nam aliqui fuerunt homines mortales, qui non peccaverunt in Adamo juxta illa *regnavit mors* &c. Sed qui non peccaverunt in Adamo non sunt ab ipso descendentes, cum omnes sic descendentes in ipso peccaverint. Ergo &c.; si autem aliqui fuerunt homines mortales non descendentes ab Adamo, jam subsistit Præadamitarum systema. Ergo &c.

℟. ad I. eundem esse hominem, de quo in primo & secundo capite Genesis fit mentio, quomodo licet in secundo capite dicatur Deum creasse cœlum & terram, non fit sermo de alio cœlo aliaque terra ab iis, quæ capite primo creata dicuntur. Secundo ergo capite extensius tantum declaratur modus, quo Adam fuit conditus, cum primo capite dicatur tantum creatus, præscindendo a modo.

Ad II. antequam respondeatur, noto quod, licet duos tantum filios Adam Scriptura nominatim exprimat, plures tamen alios revera ipse habuit: quod colligitur tum ex præcepto Dei (a): *Crescite & multiplicamini:* tum ex quo de Adamo generaliter dicatur: (b) *Et genuit filios & filias*. Fac ergo quod plures fuerint Adamo filii,

 qui

(a) *Gen.* 1. (b) *Gen.* 5.

qui jam facti adulti alios genuerint, & isti alios, en quomodo intra spatium E. G. 100. annorum potuerint etiam ad plura millia homines multiplicari, ut intra 400. circiter annos a solo Iacob (a) descenderunt 600. millia bellatorum præter pueros ac mulieres. Si ergo tot erant homines intra spatium 100. annorum, multo plures erunt post 130. annos a creatione Adami, quo tempore accidit occisio Abel. Hanc enim tunc accidisse ex eo colligitur, quod Seth, quem Deus Adamo concessit in solatium pro deperdito Abele, adeoque verisimiliter statim post mortem illius natus sit anno 130. Adami (b). His positis.

℟. potuisse & esse fures, a quibus gregem custodiret Abel, & adjutores Cain in agricultura. Ut omittam, quod potuisset Abel pascere gregem non quidem a furibus defendendo, sed a feris, illas pro viribus a grege arcendo, vel etiam gregem ad salutaria pascua dirigendo, ut ita necessaria vitæ ex grege captaret. Cain vero verisimiliter non adhibuit instrumenta, quæ modo adhibentur, præcipue cum modica terræ portio tunc esset colenda. Quod si per illud *in foribus* intelligere velimus judicium & punitionem Caini, patet tale judicium exerceri potuisse vel a consanguineis ejusdem Cain, vel ab ipsius parentibus. Sed litteralior videtur esse loci explicatio, quod peccante Caino cito esset puniendus, & hoc cohærenter ad alia loca ut: (c) *Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis*, idest proxime venturum Christum: & : (d) *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini: ecce judex ante januam assistit*: idest proxime est judicaturus. Ex his etiam patet potuisse Cain timere, ne ab aliquo occideretur, præsertim cum ipsum conscientiæ pa-

(a) *Exod.* 12. (b) *Gen.* 50.
(c) *Marc.* 13. (d) *Jacob.* 5.

patrati sceleris valde pronum faceret ad timendum: patet quoque non fuisse frustraneum signum, quo Deus Cain munivit. Uxor autem Cain fuit probabiliter una ex sororibus suis; nam, ut inquit S. Augustinus, initio mundi (a), *viri sorores suas conjuges acceperunt, quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente*. Tandem adjutores Cain in ædificatione civitatis (quæ sane probabilius erat parvulum oppidulum) & habitatores ejusdem potuerunt esse vel fratres, vel nepotes, vel filii ipsius, qui etiam omnes poterant esse ipsius socii in sceleribus.

Ad III. ℟. nomine *legis* venire legem Mosaicam, ante quam peccatum *non imputabatur*, idest vel non puniebatur determinata aliqua pœna per illam legem statuta, vel non satis clare cognoscebatur ejus malitia, ut cognita est per legem Mosaicam varia genera pœnarum statuentem pro peccatis, & ita illud *non imputabatur* idem est ac *minus imputabatur*. Ante Mosaicam ergo legem peccatum utique erat in mundo, sed in Adamo, & descendentibus ab ipso. Sane nomine *legis* venire non legem datam Adamo, sed legem Mosaicam patet ex quo præceptum factum Adamo non potest dici lex, cum hæc debeat esse generalis pro tota communitate, illud autem solum Adamum & conjugem afficeret: & quod nomine *legis* in Scripturis antonomastice, nisi constet de opposito, veniat lex Mosaica. Et en solutum primum argumentum. Qui autem non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, non sunt illi, qui non peccaverunt originaliter in Adamo, sed qui non peccaverunt voluntate propria & actualiter, ut peccavit Adam, & isti sunt infantes ab Adamo descendentes, in quibus tamen

(a) *Lib. 12. de Civit. Dei cap. 16.*

men utpote infectis originali regnavit mors etiam ante legem Mosaicam. Et en solutum argumentum secundum. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Chaldæi, ut refert Diodorus Siculus, tempore Alexandri Magni numerabant 470000. annos, ex quo sydera observare cœperunt. Eandem, vel forte majorem redolent antiquitatem annales Ægyptiorum & Synensium, ut de aliis taceam. Cum ergo Adami creatio a nostris temporibus non distet juxta textum Hebraicum plusquam sex, aut ad summum juxta 70. octo annorum millibus, patet homines esse admittendos ante Adamum.

II. Homines, qui Insulas Americanas recens detectas habitant, ab Adamo descendere inverisimile est; si enim ab Adamo descenderent, jam debuissent ipsorum patres aliquando ab aliis hominibus secedere, se mari committere, ac tandem ad illas dissitissimas appellere terras. Hoc autem videtur impossibile, cum antiquitus non se committerent homines vastissimo mari, sed semper prope littora navigarent tum ob defectum navium ad id sufficientium, tum ob defectum usus magnetis, qui est modernissimus. Adde, quod, si casu navigatio hæc accidisset, aliqua remansisset hujus rei memoria, quæ ope traditionis fuisset conservata, sicque non potuisset antiquis adeo impossibile videri dari Antipodas, ut visum est. Ergo &c.

III. Si ex Adamo omnes homines descenderent, non posset explicari diversitas coloris albi & nigri, quæ in hominibus reperitur; constat enim ab hominibus albis, qualis fuit Adam, homines albos nasci, sicut ex nigris nascuntur nigri. Horum ergo origo ab alio præter Adamum est repetenda

℟. ad I. cum S. Augustino historias jam allatas aliasque id genus ut fabulosas esse habendas, quemadmodum colligitur nedum ex Scripturis, sed etiam ex aliis historicis prophanis probatæ fidei. Sane Callistenes, qui cum Alexandro Magno fuit in Asia, docet se in Babylone non reperisse nisi ob-

observationes 1903. annorum a principio Chaldaicæ Monarchiæ usque ad eundem Alexandrum: & Hipparcus ac Ptolemæus illas repetunt a regno Nabuchodonosor, qui destruxit Hierusalem. Plutarchus & Censorinus explicant annos Ægyptiorum pro annis 1., vel 2., vel 4. mensium. Doctiores inter Synenses conveniunt in rejiciendis ut fabulosis quæ de ipsorum Imperio narrantur ante Fhoi ejusdem Imperii fundatorem, qui diluvio Noetico recentior est. Adde quod inventio artium non est antiquior ipso Adamo; omnium enim initia assignantur temporibus Adamo posterioribus. Quis autem credat homines, si extitissent ante Adamum, adeo rudes fuisse, ut non invenerint artes illas præcipue, quæ in maximum illorum commodum cessissent, & quas post Adamum homines invenerunt, & in dies perfecerunt? Ergo &c.

Ad II. ℟. potuisse descendentes ex Adamo ad Americana littora appellere, quin hujus rei memoria asservaretur. Fac ut E. G. aliqui se ratibus commiserint, quarum antiquissimus præcipue apud Phœnices fuit usus, & ventorum vi illuc dejecti sint; quid facilius, quam ut hi viam ignorantes, qua ad suos reverterentur, ibi fixerint sedem suam, ibique multiplicati sint? Interim vero ab iis, quos deseruerunt, existimati sunt mortui, & cum de ipsis nihil amplius fuerit auditum, illorum evanuit memoria, nec in mentem ullius venit ipsos tam longe fuisse progressos. Cum autem nullus daretur apud nos de habitatoribus regionum illarum longinquarum oculatus testis, cumque impossibile olim videretur fines consuetos navigationis transire; factum est, ut antiqui Antipodas nedum non esse, sed nec esse posse existimaverint, in quo tamen deceptos esse experientia tandem ostendit. Addo quod fortasse longissima navigatione opus non fuit ad Americam penetrandam; ostendunt enim moderni Geographi orientalem partem Siberiæ ab occidentali parte Americæ non distare plusquam 92. leucis gallicis, & Borealem ejusdem Siberiæ partem non distare ab Americano continente anno 1723. detecto plus-

quam

quatuor 58. leucis, quod spatium plures intersecant insulæ transitum mire juvantes. Adde tandem quod fortasse pedestri itinere potuerunt homines Americam penetrare; nam licet modo Americanum continens a nostro sit separatum, cum tamen terremotuum vi magnas vicissitudines subierit orbis terraqueus, adeo ut mare pluribus in locis modo sit, ubi olim erat terra, & è contra, fieri potest, ut quæ modo a nobis est separata, fuerit olim conjuncta Americana regio, adeoque &c. Ergo &c. Plura ex his, quæ leviter hic attigi, vide latius (a) apud P. Nicolai.

Ad III. ℞. descendere utique ex Adamo etiam homines nigros; fac enim ut aliquis albi coloris descendens ex Adamo ad illas regiones perrexerit, in quibus maximi vigent æstus, nil facilius, quam ut aliquantisper permutatus sit albus color (quod etiam quotidie cernimus in rusticis soli præ aliis expositis), ex hoc alii descenderint in iisdem regionibus, & ab his alii, jam color albus sensim & per gradus evanescere debuit, & tandem in nigrum commutari: attenta præcipue conditione aeris, aquarum, ciborum illarum regionum, & nuditate, quæ in iisdem servatur. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sed jam de formatione hominis illam primo considerando quoad corpus, capite vero sequenti quoad animam.

Ad creationem igitur hominis deveniens Deus ait (b): *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* & ita fecit. E' limo terræ hominis corpus formavit, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.

Cor-

(a) *Lect.* I. *in Gen.*
(b) *Gen.* I.

Corpus primi hominis fuit creatum quale solet esse corpus humanum perfectæ ætatis. Hoc patet ex quo statim post hominis creationem dixit Deus: (a) *Crescite & multiplicamini*; hoc enim indicat tunc Adamum fuisse aptum generationi, adeoque habuisse corpus, quale solet esse in ætate perfecta. Non autem putandum ipsum fuisse androgynum, idest viri simul & fœminæ, ut aliqui putaverunt, ex quo cum dixit Deus: *Crescite & multiplicamini*, Heva nondum erat creata in propria persona, & cum cæteroquin deberet existere aliquo modo, ne illa verba sint inepta, videtur dicendum, quod extiterit saltem modo indicato. Non est inquam hoc putandum; nam citata verba supponunt Hevam jam fuisse creatam in propria persona, licet de illius productione sequenti capite expressa fiat mentio. Scriptor enim sacer compendiaria narratione recensere volens quæ gesta erant sexta die, de creatione tantum Adami mentionem fecit explicitam implicite loquens verbis adductis de productione Hevæ. Capite autem sequenti distinctius explicavit quæ supra dixerat diversum modum exponens, quo Heva & Adamus producti sunt: unde quæ capite 2. referuntur de formatione Hevæ sunt quidem illis, quæ referuntur capite 1., adeoque adductis verbis posteriora in ordine narrationis, sed non in ordine executionis. Ex quo patet adducta verba ad Hevam quoque jam in propria persona existentem, & prout erat quid nedum distinctum, sed & separatum ab Adamo, esse referenda. Præcipue cum admissa illa sententia salvari non posset, quod creato Adamo fuit (b) aliquod tempus, *quo non inveniebatur adjutor similis ejus* (cum eodem tempore fuisset creata Heva), & quod ait Apostolus (c) Adamum primo formatum esse, deinde Evam.

So-

(a) *Ibid.*
(b) *Genes.* 2.
(c) *Tim.* 2.

Somniarunt aliqui corpus Adami fuisse creatum giganteæ altitudinis nixi præcipue illi : (a) *Adam maximus ibi inter Enacim situs est:* Enacim autem dicuntur (b) *monstra quædam de genere gigantæo*. Sed ex his nihil pro intento evincitur; nam primo Peyrerius ex versione 70. docet ibi non esse sermonem de primo homine, sed de alio appellato *Arbe*, qui dicitur Adam, sumpto hoc nomine pro nomine generico hominum, quale esse nomen Adam pluribus ostendi potest. Rursus concedatur ibi de primo homine esse sermonem, hic tamen non dicitur maximus Gigantum, sed solum maximus ob dignitatem capitis generis humani, qui sepultus est inter Gigantes, ut patet inspectione textus. Fuit ergo Adam structuræ ordinariæ, quæ maxime competit perfectioni illius corporis, quod a Deo immediate formatum est.

De formatione Evæ hæc dicit Scriptura. Creato Adamo in eundem immisit Deus soporem, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, cui carnem substituit, atque ex hac costa corpus mulieris efformavit, eamque adduxit ad Adam, qui eam agnoscens de se formatam inquit: (c) *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea*.

Quæ de formatione Hevæ dicta sunt, Cajetanus vult intelligi metaphorice tum ob auctoritatem Scripturæ (d) dicentis Hevam post illius productionem fuisse adductam ad Adam; hoc enim significat ipsam longe ab illo fuisse productam, quod non verificaretur, si fuisset educta è costa ipsius: tum ob auctoritatem Chrysostomi, qui de formatione Hevæ loquens ait: (e) *Ne humano more accipias quæ dicuntur, sed crassa verba humanæ imbecillitati convenire cogites*: tum ex quo, si Heva de costa Adami dicatur formata, sequitur Ada-

(a) *Jos.* 14. (b) *Num.* 13. (c) *Gen.* 2.
(d) *Ibid.* (e) *Homil.* 15. *in Genes.*

Adamum fuisse monstruosum vel ante, vel post formationem Hevæ. Nam vel illa costa erat necessaria corpori Adami, & tunc sublata illa remanebat Adam mancus: vel non erat, & tunc ante formationem Evæ habebat partem aliquam superfluam. Ergo &c.

Sed est communis Patrum & Theologorum sententia, quæ narrantur de creatione Hevæ esse intelligenda non metaphorice, sed proprie, & hoc omissis aliis, quia verba Scripturæ intelligenda sunt in sensu proprio, nisi aliquid obstet, quod non obstare in casu statim patebit solutione rationum adductarum.

Cum ergo Heva dicitur adducta ad Adam, vel dicitur adducta quasi præsentata, vel dicitur adducta, quia ex costa ab Adamo detracta Deus longe ab eodem formavit mulierem, quam postea ad ipsum adduxit. Chrysostomus, ut ex contextu apparet, non vult, quod figurate debeat sumi productio Hevæ, sed quod ita debeant accipi os, manus, & alia membra corporalia, quibus dicitur usus Deus in formatione hominis. Nec ex formatione Hevæ intellecta proprie, ut dictum est, sequitur Adamum fuisse monstruosum; nam ante formationem Evæ costa illa aliis cohærebat ex instituto Dei auctoris naturæ, & carne ita erat vestita, ut nulla difformitas appareret, postea vero Deus in locum costæ ablatæ carnem substituit. Præterea, ut inquit *S.* Thomas, costa illa erat supervacanea Adamo, ut erat persona particularis, cum non pertineret ad integritatem corporis ejus, non autem ut ex illo formanda erat Heva, quomodo semen ad perfectionem generantis pertinet, quatenus ipse est speciei propagandæ capax, non quatenus est ejusdem speciei individuum.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De creatione hominis quoad animam, & de ejusdem animæ natura.

Exponam hic 1. quæ pertinent ad creationem animæ Adami: 2. referam errores & opiniones circa conditionem animæ humanæ: 3. ostendam animam esse spiritualem: 4. ostendam eam non esse portionem substantiæ divinæ: 5. ostendam eam non propagari ex traduce, sed immediate a Deo creari: 6. ostendam animas non fuisse initio mundi omnes creatas: 7. ostendam animam esse immortalem: 8. ostendam non dari transmigrationem animarum de uno corpore in aliud.

ARTICULUS PRIMUS.

Formato Adami corpore creata est illius anima, ut docet Scriptura his verbis: (a) *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.*

Anima autem est pars hominis nobilior, quæ licet non sit de substantia Dei, est tamen ab ipso Deo immediate creata, est spiritualis, immortalis, & resoluto per mortem corpore pergit ad domum æternitatis suæ receptura perennem vel retributionem, vel pœnam. Horum omnium sensus ex infra statuendis fiet apertior.

Interim quoniam in anima præcipue sita est imago & similitudo hominis cum Deo, ideo ante omnia placet exponere quæ ad hanc imaginem & similitudinem spectant.

Crea-

(a) *Gen.* 2.

Creatum esse hominem ad imaginem & similitudinem Dei, docet Scriptura, dum Deus ita loquens inducitur: (a) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Imaginem & similitudinem hominis cum Deo Antropomorphitæ explicabant per hoc, quod Deus haberet corpus simile humano corpori: Tertullianus docuit hominem dici factum ad imaginem & similitudinem Dei, quatenus est factus ad imaginem naturæ, quam Divinum Verbum assumpturum erat in Incarnatione: alii volunt rationem imaginis & similitudinis in hoc consistere, quod homo non secus ac Deus præditus sit libero arbitrio: alii in hoc, quod factus sit dominus omnium aspectabilium juxta id, quod post verba supra recitata *faciamus hominem &c.* immediate subditur: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*: alii in hoc, quod fuerit creatus immortalis: alii in hoc, quod fuerit creatus intelligens: alii similitudinem constituunt in hoc, quod tribus potentiis, intellectu, memoria, & voluntate instructa illius anima, cum tamen una sit, unitatem essentiæ Divinæ & Personarum Trinitatem repræsentet.

Aliqui etiam sunt, qui duo diversa importari volunt per *imaginem* & *similitudinem*; imaginem enim referri volunt ad naturalia, puta intellectum, voluntatem &c., similitudinem autem ad supernaturalia, ad gratiam scilicet, virtutes &c. consequenter docent isti non posse amitti imaginem Dei, posse vero amitti ejus similitudinem: alii tamen distinctionem istam respuunt volentes duo illa allato in loco esse synonima.

Omnes

(a) *Gen.* I.

Omnes supradictæ sententiæ (excepta sententia, seu potius errore Antropomorphitarum, de quo alibi ex professo) sunt probabiles, & qualibet ex illis admissa, explicari potest adducta ratio imaginis & similitudinis, nisi dicere velimus melius fortasse explicari admissis simul omnibus. Interim autem patet quod supra innui, imaginem & similitudinem, quam habet homo cum Deo, in anima præcipue sitam esse.

Noto hic ex D. Augustino hominem dici & *imaginem*, & *ad imaginem*, quia est quidem aliquo modo similis Deo, sed non habet cum illo omnimodam similitudinem. Divinum vero Verbum dicitur imago Dei, non autem ad imaginem, quia perfectissime exprimit Patrem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa animam humanam multi olim fuerunt errores, quorum aliqui versati sunt circa illius substantiam, alii circa modum, alii circa tempus, quo producitur, alii circa illius durationem, alii tandem circa illius statum post solutionem a corpore.

Circa substantiam animæ erraverunt primo qui dixerunt illam esse corpoream. Hi autem fuerunt nedum plures Gentiles Philosophi, sed etiam Tertullianus: secundo qui dixerunt animam esse de substantia Dei; ita nedum aliqui ex Gentilibus, sed etiam Manichæi, Gnostici, & Priscillianistæ, & moderni Spinosistæ.

Circa modum, quo anima producitur, erraverunt qui dixerunt eam produci ex traduce, seu eam generari in homine a parentibus, ut generatur corpus. Ita Tertullianus consequenter ad id, quod dixerat, animam esse corpoream, aliique. Fatendum tamen plures Patres dubitasse, num sicuti corpus hominis ex corpore parentum producitur, ita producatur anima ex anima, an vero singulæ animæ a Deo immediate creentur. Inter dubitantes fuit ipse Augustinus. De hoc etiam dubitarunt plures antiqui Theologi, sed modo est

sen-

sententia fere communis animas a Deo immediate creari.

Circa tempus creationis animæ errarunt plures antiqui Philosophi, qui docuerunt omnes animas creatas fuisse initio mundi. Huic errori utcunque tolerabili alium absolute intolerabilem addidit Origenes docens quod, cum aliquæ ex iisdem animabus in illo statu separationis a corporibus bene se gesserint, aliæ male, & quæ male, aliæ minus, aliæ magis; quæ se bene gesserunt, remanserunt in sua puritate, quæ vero male, fuerunt a Deo in pœnam corporibus alligatæ, & quidem corporibus plus minusve ignobilibus pro graviori, vel minus gravi peccato, quod admiserunt. Huic errori adhæsit etiam Priscillianus.

Circa tempus durationis animæ erraverunt primo omnes illi antiqui Philosophi, qui humanam animam mortalem esse docuerunt, imo simul cum corporibus interire, ut inter alios docuit Epicurus. Ita pariter errarunt Sadducæi, & Samaritani, Arabici, & Sociniani.

Tandem circa statum animarum a corporibus solutarum erravit Plato, qui existimavit animas ab uno corpore solutas ad aliud transire, imo etiam ad corpora bestiarum, & aliquando etiam ad astra ascendere. Hanc sententiam acceperat Plato ab aliis antiquioribus Philosophis. Hanc pariter sententiam teste S. Augustino secuti sunt Manichæi.

Contra hos omnes errores totidem ponam assertiones, quibus veritatem propugnabo, & contraria momenta solvam.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Anima humana est natura spiritualis*. Assertio a pluribus dicitur de fide, ab aliis vero solum fidei proxima. Circa quod vide dicta de spiritualitate Angelorum.

Prob.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur (a): *Revertatur pulvis in terram suam, & spiritus* (idest anima) *redeat ad Deum, qui dedit illum*: rursus (b): *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei*. Dicitur ergo anima spiritus. Cum autem nomine *spiritus*, ut alibi dixi, quando rei intellectivæ tribuitur, proprie in Scripturis sumatur, adeoque prout spiritus opponitur corpori, consequens est, ut anima dicatur natura spiritualis.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. inquit (c): *Deus . . . utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Unus sufficiat Augustinus de anima inquiens (d); *Res spiritualis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei*: & rursus (e) *Nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur*. Ergo &c.

Obj. ex Scriptura. Hæc proponit animas a corpore separatas habentes membra corporalia, ut dum commemorantur lingua Epulonis, digiti Lazari &c. Imo Scriptura asserit easdem animas in aliquibus determinate locis detineri, ut detinentur animæ damnatorum in Inferno, & animæ Patriarcharum detinebantur in Lymbo. Hæc autem de re spirituali verificari non possunt. Ergo &c.

℟. Cum S. Augustino (f) etiam similia membra tribui Deo, quin ex hoc inferatur ipsum esse corporeum; cum scilicet aliunde pateat ipsum esse spiritum, patet consequenter similes locutiones esse metaphoricas. Ita a pari in casu. Alia etiam ad-

(a) *Eccles.* 12. (b) 1. *Cor.* 2.
(c) *Cap.* Firmiter. (d) *In Psalm.* 145.
(e) *Lib.* 10. *de Genes. ad litt. cap.* 24.
(f) *Lib.* 4. *de Anim. & ejus orig. cap.* 16.

adducit S Doctor exempla locutionum, quæ debent figurate intelligi, ut est illa (a): *Si assumpsero pennas meas*, ubi alæ homini tribuuntur: & illa, ubi linguæ tribuuntur manus (b): *Mors & vita in manu lingua*: & illa, ubi peccatis tribuitur facies (c): *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*. Detentio autem animarum in aliquibus locis optime explicatur, etsi ipsæ sint spirituales; fac enim, ut constitutis illis in aliquo loco Deus nolit concurrere ad illarum motum, en statim anima immobiliter detenta in illo loco: ut alios omittam modos, quibus fortasse hæc detentio potest explicari.

Obj. ex ratione. Anima habet habitudinem ad corpus, quod informat; illud enim movet, & in suis operationibus ab illo dependet, ita ut, cum corpus est sanum, facile & ipsa operetur, infirmato corpore & ipsa veluti infirmetur &c. Hæc autem habitudo satis ostendit animam esse corpoream. Ergo &c.

℟. Negando ex adducta habitudine inferri animæ corporeitatem. Quod enim spectat ad motionem corporis factam ab anima, cum videamus & a Deo & ab Angelis absque illorum spiritualitatis præjudicio corpora moveri, cur idem similiter non poterit anima præstare? Nec illius materialitatem arguit dependentia animæ a corpore, cum non implicet, quod Deus statuta lege de connexione animæ cum corpore ipsius animæ virtutem in actu secundo voluerit aliquo modo a corpore dependentem, quamvis modum hunc explicare non possimus, quod tamen ad defendendam assertionem non est necessarium, cum alia multa sint nedum in Theologicis, sed & in Philosophicis ab omnibus admissa, quamvis illorum ratio reddi non possit.

AR-

(a) *Psalm.* 138.
(b) *Proverb.* 18.
(c) *Psalm.* 37.

ARTICULUS QUARTUS.

Assertio. *Anima humana non est de substantia Dei*. Est de Fide.

Prob. ex Conciliis. Toletanum I. ait (a): *Si quis dixerit, vel crediderit animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit*: & Bracarense II. (b): *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit*.

Prob. ex Patribus: S. Augustinus (c): *Nos credimus*, inquit, *Dei naturam atque substantiam .... omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam vel in deterius, vel in melius commutari posse quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam & Deum credere unius esse substantiæ*: rursus alibi ex professo probat animam non esse de substantia Dei hac ratione. (d): *Omnis natura vel Deus est, qui nullum habet auctorem, vel ex Deo est, quia ipsum habet auctorem: sed quæ habet auctorem Deum, ex quo facta est, aliqua facta non est, aliqua facta est. Porro quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est unicus: quæ procedit Spiritus S. . . . At vero illa natura, quæ facta est, creatura nuncupatur .... Creatura ergo ita esse dicitur ex Deo, ut non ex ejus natura facta sit*. Ergo &c. S. Leo Magnus ait (e); *Refertur, quod animam hominis Divinæ asserant esse substantiæ, nec a natura Creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex Philosophorum quorumdam & Manichæo-*

(a) *Can.* 11. (b) *Can.* 5.
(c) *Lib.* 7. *de Genes. ad litt. cap.* 2.
(d) *Lib.* 2. *de Ani. & ejus orig. cap.* 3.
(e) *Ep.* 16. *al.* 93.

chæorum opinione manantem Catholica fides damnat. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. de anima hominis dicitur, quod (a) *Deus . . . inspiravit in faciem* (Adami) *spiraculum vitæ*. Anima ergo est halitus ipsius Dei. Ergo de substantia Dei.

II. Dicitur nos esse de genere Dei (b): *Genus ergo cum simus Dei*, non autem tales sumus quoad corpus. Ergo quoad animam. Quod si hæc est de genere Dei, est de ipsius substantia. Ergo &c.

℟. Ad I. illud *inspiravit* idem esse ac *fecit spiritum*, quem tamen non de semetipso fecit, sed ex nihilo. Audiatur Augustinus (c): *Quid est quod dicis eam* (animam) *particulam esse quandam halitus naturæ* Dei? *Nunquidnam ipsum halitum naturæ* Dei, *cujus halitus est ipsa particula, negas ejusdem, cujus* Deus *est, esse naturæ? Si negas: ergo de nihilo & istum halitum fecit* Deus, *cujus halitus animam vis esse particulam: aut si non de nihilo, dic unde illum fecerit* Deus. *Si de seipso; ergo ipse est, quod absit, materies operis sui*.

Ad II. ℟. Ex S. Thoma (d) nos dici de genere Dei, quatenus anima nostra est intellectiva & incorporea, ut est Deus; genus enim ibi sumitur lato modo, inquit S. Doctor, secundum quod omnia intelligibilia, vel incorporalia unius generis esse dicuntur. Et sane etiam explicato *genere Dei* hoc modo optima est consequentia, quam inde eruit Apostolus, scilicet Deum non esse corporeum; inquit enim: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile*. Ergo &c.

(a) *Gen.* 2. (b) *Act.* 17.
(c) *Lib.* 3. *de Anim. & ejus orig. cap.* 3.
(d) *De verit. quæst.* 1. *art.* 4.

ARTICULUS QUINTUS.

Assertio prima. *Anima humana non producitur ex semine corporali.*

Prob. ex Augustino, qui quamvis dubius circa alia ad originem animæ spectantia, expresse tamen docet eam ex semine corporeo non produci; inquit enim: (a) *Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri: quo perversius quid dici potest?*

Prob auctoritate Theologorum, qui modo unanimiter ita sentiunt, imo plerique hoc existimant de fide.

Prob. ratione. Anima humana est spiritualis. Nequit ergo produci ex semine corporeo, cum implicare videatur rem spiritualem a re corporea produci.

Assertio secunda. *Nec ex animabus animæ procreantur, sed immediate creantur a Deo.*

Omissis aliis probationibus, quæ fortasse non sunt invictæ, sufficiat assertionem probare ex fere communi sensu modernorum Theologorum ita sentientium.

Obj. ex Scripturis docentibus animas generari a parentibus; hoc enim posito, cum hæc generatio non fiat per corpus ipsorum parentum, remanet, ut fiat per animam.

I. Apostolus, (b) ut ostendat Sacerdotium Melchisedec fuisse majus Sacerdotio Levitico, dicit Levi decimas obtulisse Melchisedeco per hoc, quod

---

(a) *Ep.* 190. *ad Optat. al.* 157.
(b) *Heb.* 7.

quod contineretur in lumbis Abrahæ, quando hic eidem Melchisedeco decimas obtulit. Ne igitur hoc eodem argumento probetur Sacerdotium Christi esse minus Sacerdotio Melchisedech, dicamus oportet vel Christum non fuisse tunc contentum in lumbis Abrahæ, vel diverso modo fuisse contentum. Non primum; nam Christus ex Abraham descendebat. Ergo alterum. Si autem hoc, cum Christus in lumbis Abrahæ fuerit solum quoad corpus, Levi dicendus est fuisse quoad animam, quam proinde per carnalem generationem ab Abraham accepit.

II. dicitur Abrahamum (a) *tulisse Saram uxorem suam, & Loth filium fratris sui, . . . & animas, quas fecerant in Haran*. Ergo a parentibus animæ generantur.

℟. ad I. diverso utique modo fuisse Christum in lumbis Abrahæ, ac fuerit Levi, sed solum per hoc, quod fuit ibi Christus non quoad rationem seminalem, cum non descenderit ab Abraham per carnalem generationem, sed tantum quoad materiam carnis; Levi autem fuit quoad utrumque.

Ad II. ℟. ibi sumi animas hominum pro ipsis hominibus, quod in Scriptura non est novum. Sic alibi indicantur pœnæ, quibus debet subjici (b) *anima, quæ audierit vocem jurantis, quæ tetigerit aliquid immundum, quæ juraverit* &c. & tamen manifeste ibidem sumitur anima pro homine. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Si anima non generaretur a parentibus, jam non posset dici homo ab eis genitus, sed solum genitum corpus hominis, imo potius homo dicendus esset genitus a Deo, qui nobiliorem partem in ipso poneret.

(a) *Gen.* 12. (b) *Levit.* 5.

II. Si anima non generaretur a parentibus, jam non descenderet per carnalem generationem ex Adamo. Si hoc, non posset defendi propagatio & transfusio peccati originalis, quod non in corpore residet, sed in anima; hæc autem in hypothesi nihil pertineret ad Adamum, unde non esset cur illius peccato inficeretur. Ergo &c.

III. Bruta generant animas filiorum suorum. Cur ergo id non præstabunt homines brutis perfectiores.

IV. Quod creatur, non inducitur per dispositionem materiæ. Anima inducitur in corpus per dispositiones materiæ, nempe corporis, quæ in ipso requiruntur, antequam animetur. Ergo anima non creatur. Ergo &c.

℟. ad I. posse dici etiam posita assertione hominem generare alium hominem, quia generat corpus, cujus posita generatione habetur conditio trahens secum creationem animæ a Deo faciendam ejusdemque infusionem in idem corpus. Deus autem non potest dici generare hominem, quia nec corpus generat, nec ipsam animam. Ergo &c.

Ad II. (hocque illud est, quod maxime ancipitem detinebat Augustinum) ℟. animas infici peccato Adami, etsi ex Adamo non descendant, quia ingrediuntur corpus infectum, utpote per carnalem generationem descendens ab Adamo. Sed de transfusione originalis infra ex professo.

Ad III. ℟. quod animæ hominum non generent animas aliorum hominum, ut bruta brutorum animas generant, esse perfectioni hominum tribuendum, quorum excellentiæ consultum voluit Deus per immediatam animarum illorum creationem.

Ad IV. ℟. utique quod creatur induci posse per dispositionem materiæ tamquam per conditionem ad creationem requisitam; fac enim ut aliquid creetur, ut cum materia hoc vel illo modo disposita agat, congruum sane videtur, ut Deus ad creationem non deveniat, nisi præsupposita tali materiæ dispositione. Sumus in casu. Ergo &c.

AR-

ARTICULUS SEXTUS.

Assertio. *Animæ non fuerunt creatæ initio mundi, & postea corporibus alligatæ in pœnam admissorum scelerum, ut somniavit Origenes: sed sufficienter formato corpore a Deo creantur, & in ipsa creatione corpori infunduntur.*

Prob. ex Conciliis. I. Viennense (a) docet animam humanam esse sua natura formam corporis. Non ergo debet creari ante corpus, sed solum & statim illo sufficienter efformato, quo posito patet falsum esse illas ante corpora fuisse formatas, & in illo statu peccasse, præcipue cum admissa hac hypothesi animæ non per se, sed per accidens informarent corpus, in pœnam scilicet admissorum criminum. II. Bracarense II. hæc habet: (b) *Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit*. Ergo &c.

Prob. ratione. Si Origenis sententia subsisteret, jam benedictiones, quæ a Deo datæ sunt antiquis Patriarchis, ut copiosam haberent posteritatem, potius maledictiones dici deberent; quid enim aliud, inquit Bellarminus, fuisset multiplicari homines, quam impleri carceres? Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. Hæ docent præexistentiam animarum corporibus; nam dicitur (c) *Requievit* (Deus) *die septimo ab universo opere, quod patrarat*, quod indicat a Deo animas jugiter non creari, alias non requievisset illo die 7.

II. Hæ docent animas promeruisse aliquando ut unirentur corporibus perfectis, ut constat ex illo (d): *Sortitus sum animam bonam, & cum es-*

(a) *Clement. de sum Trin.*
(b) *Can. 6.* (c) *Gen. 2.*
(d) *Sap. 8.*

essem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum: aliquando in pœnam admissorum criminum intrusas esse in corpora quasi in carceres, ut constat ex illo (a): *Educ de custodia animam meam.* Ergo &c.

℟. ad I. Deum cessasse ab universo opere, vel quia nihil postea fecit diversæ speciei ab illis, quæ fecerat, vel quia cessavit ab iis operibus, quæ ad primam mundi formationem pertinebant.

Ad II. ℟. neutrum ex adductis textibus inferri; primi enim vel sensus est Salomonem (qui ibi inducitur loquens) adhuc puerum fuisse bonæ indolis naturalis, & per gratiam effectum meliorem, ita ut tandem acquisierit, etiam munditiam corporis: vel ipsum, cum esset destinatus ad majorem præ aliis bonitatem, sortitum esse animam & corpus magis aliis perfecta (animas autem esse inæquales in perfectione etiam naturali docent plures). Alterius loci sensus litteralis est Davidem a Deo postulasse, ut illum liberaret a spelunca, in qua ob metum Saulis delitescebat. Quod si locum vellemus intelligere de eductione animæ a corpore, dici posset corpus vocari animæ carcerem, non quatenus hæc in illud in pœnam admissorum criminum sit intrusa, sed quatenus corpus est impedimentum, ne anima pergat ad Deum, ad quem tanquam ad finem est ordinata. Hoc posito nihil faciunt adducta loca pro sententia Origenis. Ergo &c.

Obj. ex Patribus I. S. Hieronymus (b) recitat opinionem Origenis, nec refellit. Ergo saltem non improbabilem censet, alias refelleret.

II. S. Augustinus docet animam Adami creatam esse prima die, cum tamen corpus solum sexta die formatum sit; nam ait (c): *Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis*

(a) *Psalm.* 141. (b) *In Ep. ad Ephes.*
(c) *Lib. 7. de Gen. ad. litt. cap.* 24.

tatis ratio contradicit, hominem ita factum sexta die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur, sicuti primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret. Quod autem dicitur de anima Adami ob paritatem rationis valet de omnibus aliis. Ergo &c.

℟. ad I. S. Hieronymum (a) se a silentio, de quo in objectione, excusare, dum ait, se tunc commentatoris officio fungentem Origenem christianæ verecundiæ studio noluisse reprehendere. Alibi (b) autem satis ostendit suam sententiam a sententia Origenis esse diversam.

Ad II. ℟. Augustinum non asseruisse absolute præexistentiam animæ Adami corpori ipsius, sed, cum supra ostendisset animam hanc non fuisse initio creationis conditam in rationibus causalibus, neque in natura Angelorum, dicit postea tolerabiliorem esse sententiam, quod prima die creata sit, & postea latuerit, donec sexta die Deus illam corpori infunderet, quasi diceret: si aliquid asserendum esset circa hoc, potius huic tertiæ sententiæ adhærerem, quam prioribus. Ad summum ergo de hoc dubitavit Augustinus, quod etiam dubium expressius manifestavit, dum disputationem concludit his verbis: (c) *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit . . . , nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, & sit incorporea, idest non sit corpus, sed spiritus*: & cum alibi ait: (d) *Cum virum terreno formasset ex pulvere, eique animam, qualem dixi, sive quam jam fece-*

(a) 1. *Apolog. cont. Ruffin.*
(b) *Ep.* 84. (c) *Cap.* 28. *ibid.*
(d) *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 23.

terat, sufflando indidisset, sive potius sufflando fecisset, cumque statum, quem sufflando fecit... animam hominis esse voluisset &c. Sed nihil mirum, si ita Augustinus dubitavit, cum tunc non adesset consensus Ecclesiæ & Theologorum pro nostra assertione, qualis nunc adest. Addo quod, licet Augustinus dubitaverit de præexistentia animæ Adami ipsius corpori, nunquam tamen dubitavit an præextiterit juxta mentem Origenis, scilicet ita ut per merita, vel demerita antecedentia acquisierit, ut vel uniretur, vel non uniretur corpori. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Anima durat post corpus. Quare ergo non debuit etiam incipere ante corpus?

℟. Disparitatem in hoc consistere, quod nulla sit ratio, ob quam anima creatur ante corpus, valida vero sit ratio, ob quam post corpus duret, deducta ex illius immortalitate, de qua statim.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Assertio. *Anima humana est immortalis*. Est de Fide.

Prob. ex Scriptura, quæ docet æterna futura & præmium justorum, & impiorum damnationem; dicitur enim: (a) *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*: & alibi (b): *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Circa hoc videantur etiam quæ infra adducentur, ubi de æternitate præmiorum & pœnarum infernalium in alia vita fiet sermo.

Prob. ex Conciliis. Lateranense V. hæc habet: (c) *Sacro approbante Concilio damnamus &* re-

(a) *Matt.* 25. (b) *Jo.* 12.
(c) *Sess.* 8. *in bulla* 1. *Leonis X.*

reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. ibi dicitur: (a) *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & aqua utriusque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius*. At jumentorum anima eſt mortalis. Ergo &c.

II. Dicitur (b): *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam, in illa die* (idest mortis) *peribunt omnes cogitationes eorum*; ſi enim ſpiritus, ideſt anima hominis revertetur in terram ſuam, revertetur in nihilum; illud enim eſt terra ipſius, unde exivit. Rurſus ſi die mortis peribunt omnes cogitationes hominum, anima ergo non ſupervivit, alias pergeret cogitare.

III. Deus (c) ſolus dicitur habere immortalitatem. Ergo non anima.

℟. Ad I. (omiſſo, quod aſſerunt aliqui, hæc verba dicta eſſe in perſona impiorum, quia hæc locutio ſimilis eſt alteri Sapientiæ (d), ubi expreſſe dicitur impios ſic eſſe locutos) mortem hominum ſimilem eſſe morti jumentorum quoad corpus. Et de facto ibidem dicitur (e): *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Ad II. ℟. illud, quod dicitur reverſurum in terram ſuam, non eſſe ſpiritum, ſed hominem, qui ſumpto toto pro parte ideſt pro corpore dicitur reverſurus in pulverem. Die autem mortis peribunt omnes cogitationes hominis, non quod ſpiritus tunc ceſſare debeat a cogitando, ſed quod ceſſare debeant cogitationes de rebus temporalibus, quibus in hac vita homines detinentur.

Ad III. ℟. ſolum Deum habere immortalitatem modo peculiari, ideſt eſſentialiter & inde-

 pen-

(a) *Eccl.* 3. (b) *Psalm.* 145.
(c) 1. *Tim.* 6. (d) *Cap.* 2.
(e) *Cap. ultim.*

pendenter. At hoc non impedit, ne alia quoque habeant immortalitatem participatam & dependentem.

Obj. ex ratione. Anima a corpore dependet in operando. Ergo dum corpus non amplius est aptum ad inserviendum animæ, hæc non poterit operari. Ergo nec esse. Ergo &c.

℟. Animam a corpore dependere in operando non ratione substantiæ, sed status; ipsa enim absolute potest, imo melius independenter ab illo operari. Cum autem voluerit Deus, ut esset corporis forma, talem connexionem inter ipsam & corpus constituit, ut quamdiu homo est in vivis, non possit independenter a corpore operari. Quod ergo anima non possit sine corpore operari, non convenit eidem animæ nisi ratione status præsentis, idest quia corpus informat. Sublato igitur hoc statu remanet libera ad operandum etiam independenter a corpore. Ergo &c.

ARTICULUS OCTAVUS.

Assertio. *Figmentum est transmigratio animarum de uno corpore in aliud.*

Prob. ex Scriptura, Ibi dicitur: (a) *Revertatur pulvis in terram suam... & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ergo anima mortuo homine redit ad Deum, ac proinde non in aliud corpus transit. Præterea Apostolus (b) cupiebat se cito dissolvi, & esse cum Christo. Non igitur existimabat propriam animam post mortem ad alia corpora transituram, alias frustra desiderasset dissolutionem sui corporis. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Augustinus hanc sententiam pro ea parte, qua admittit transmigrationem animarum in corpora bestiarum, ita carpit (c) *Quid ergo faciet de tanto scelere, si quando tar-*

(a) *Eccl. ultim.* (b) *Philip.* 1.
(c) *Cont. Adim. cap.* 12.

tardum jumentum plagis aut concitatum fræno fatigavit, in quo forte patris ejus anima fuerit? Ut non dicam, quod etiam occidere parentes suos inter pediculos & pulices potuerit, a quorum isti interfectione non temperant. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Christus loquens de Joanne Baptista ait: (a) *Ipse est Elias.* At quomodo erat Elias, nisi quia in ipsum transierat anima Eliæ. Ergo &c.

℟. Joannem dictum esse Eliam non ob identitatem animæ, sed tum ob virtutes Eliæ, quæ erant in Joanne, tum ex quo Joannes præcesserit primum adventum Christi, ut Elias præcedet secundum. Hinc Augustinus: (b) *Si figuram, inquit, præcursionis advertas, Joannes ipse est Elias; quod enim illi ad primum adventum, hoc illi ad secundum erit: si proprietatem personæ interroges, Joannes Joannes, Elias Elias. Dominus ergo ad præfigurationem recte, ipse est Elias. Joannes autem recte ad proprietatem, non sum Elias.* Et de facto Joannes interrogatus utrum esset Elias respondit: (c) *Non sum.*

CAPUT TERTIUM.

De statu naturæ Innocentis.

EXponam 1. varios status, sub quibus considerari potest natura humana: 2. quæ spectabant ad intellectum primorum parentum in statu innocentiæ: 3. quæ spectabant in tali statu ad illorum voluntatem: 4. quæ spectabant ad justitiam originalem: 5. quæ spectabant ad primorum parentum immortalitatem: 6. quæ spectabant ad filios, qui fuissent geniti in eo statu, si durasset: 7. quæ spectabant ad dominium, quod homini in

(a) *Matt.* 11
(b) *Tract.* 4. *in Jo. n.* 6. (c) *Jo.* 1.

eo statu competebat: 8. quæ spectabant ad Paradisum terrestrem.

ARTICULUS PRIMUS.

Status naturæ humanæ apud Theologos denotat conditionem, seu modum se habendi ejusdem naturæ relate ad Deum tanquam suum ultimum finem naturalem, vel supernaturalem.

Alius est status termini, alius viæ. Ille est humanæ naturæ conditio in ordine ad Deum, quo vel fruitur, vel privata est: hic conditio ejusdem in ordine ad Deum, ad quem tendit. Status viæ alius est pro aliqua temporis differentia actualis, alius pro nulla temporis differentia actualis. Prior duplex est, status naturæ integræ simulque innocentis, in quo primi parentes conditi fuerunt, & status naturæ lapsæ & per Christum reparatæ, qualis est status præsens naturæ humanæ.

Status pro nulla temporis differentia actuales tres solent assignari, primo status puræ naturæ, qui importat conditionem debitam humanæ naturæ præcise secundum se spectate, adeoque excludit dona supernaturalia & peccatum, & includit omnes perfectiones, quæ eidem debitæ sunt ex principiis suis intrinsecis, nec non potentiam ad peccandum: secundo status naturæ solum integræ, & est ille, in quo homo esset sine peccato & gratia supernaturali saltem sanctificante, sed non sine auxilio, quo redderetur immunis ab infirmitatibus, quibus nunc subjacet. Hic autem status dicitur naturæ solum integræ ad differentiam status, in quo fuit conditus Adam, qui status, utpote importans non solum immunitatem a miseriis, quibus modo subjacemus, sed etiam gratiam sanctificantem, dicitur status naturæ integræ simulque innocentis: tertio status naturæ lapsæ sed non reparatæ per Christum.

Ex omnibus hisce statibus quatuor præcipue considerant Theologi, nimirum statum termini, statum naturæ puræ, statum naturæ innocentis,

&

& statum naturæ lapsæ. De statu termini partim alibi disserui partim etiam alibi disseram: de statu puræ naturæ agam capite sequenti: de statu naturæ lapsæ agam tum in sequenti Tractatus hujus dissertatione, tum in aliis, qui hunc consequentur, Tractatibus, in quibus fere semper humana natura consideratur ut lapsa: de statu naturæ innocentis hic agendum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa statum naturæ innocentis, primo consideranda veniunt quæ spectabant ad intellectum primorum parentum. Docent communius Theologi hunc fuisse a Deo repletum omni scientia naturaliter acquisibili, & hoc colligunt ex quo de illis dicitur (a): *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis*. Præterea ex quo, cum jussus sit Adam (b) imponere cunctis animantibus propria nomina, ipsorum sane dicendus est cognovisse naturam, & si animantium, profecto etiam aliarum rerum, cum non sit major ratio pro his, quam pro aliis, præcipue cum futurus esset magister eorum, qui ab ipso erant orituri, & ignorantia alicujus rei naturaliter scibilis dedeceret illum, qui in tanta felicitate a Deo fuerat conditus. Quod idem proportionaliter dicunt de Heva.

Quod si objiciatur vel quod Salomon (c) dicatur sapientior omnibus, qui illum præcesserunt, adeoque Adamo, ex quo infertur non fuisse in Adamo statutam scientiam: aut quod post peccatum dicantur aperti oculi Adami (d), quo innuitur ipsum aliquid cognovisse, quod ante non cognoscebat.

Re-

(a) *Eccle* 17. (b) *Gen.* 2.
(c) 3. *Reg.* 3. (d) *Gen.* 3.

Respondent Salomonem dici sapientiorem omnibus ante se hominibus, id intelligendo vel de illis, qui scientiam labore & studio compararunt, vel de aliis Regibus, qui ante illum fuerunt. Aperti vero dicuntur oculi primorum parentum, quatenus proprio experimento cognoverunt vanitatem eorum quæ ipsis policitus fuerat serpens, quam antea solum confuse cognoverant (excœcante inordinata passione illorum intellectum) & propriam nuditatem erubescere cæperunt, quam ante non erubescebant.

Fatendum tamen aliquos esse, qui universalem supra adductam scientiam Adamo denegant, contendentes illam tantum scientiam ipsi infusam fuisse, quæ erat necessaria ad sui & familiæ gubernationem. Et hoc ex eo præcipuæ deducunt, quod si illam priorem universalem scientiam Adamus habuisset, illam saltem ex parte communicasset filiis suis, quam tamen non communicasse suadent initia & quidem satis rudia scientiarum & artium, quæ Adamo sunt posteriora.

Habuerunt etiam primi parentes cognitionem aliquarum rerum supernaturalium. Et sane non potuerunt ignorare & Deum existere, & ipsum remuneratorem bonorum & malorum vindicem. Probabile quoque videtur ipsos cognovisse mysteria Trinitatis & futuræ Incarnationis, licet non cognoverint illius circumstantias proximas, puta finem, qui erat, ut ipsi redimerentur a peccato: quomodo Joseph (a) fuit revelata futura ipsius exaltatio, quin revelarentur illius circumstantiæ, puta odium fratrum, venditio in Ægypto &c. Has autem cognitiones fuisse cognitiones fidei patet ex quo fides illis fuerit absolute necessaria, cum sit fundamentum justificationis, & sine illa im-

(a) *Gen.* 37.

impossibile sit placere Deo: & si fides fuit illis necessaria, profecto fides versans circa jam dicta.

ARTICULUS TERTIUS.

Quod spectat ad voluntatem primorum parentum, hæc in statu innocentiæ fuit gratia sanctificante ornata, ut docet Tridentinum inquiens (a): *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . anathema sit;* hic enim Tridentinum supponit Adamum ante lapsum sanctitatem, idest gratiam sanctificantem habuisse.

Simul autem cum gratia habuerunt primi parentes cæteras virtutes & dona, quæ gratiam sanctificantem comitantur, puta fidem, spem, charitatem, dona Spiritus S. &c.: nam Tridentinum (b) docet nos in Baptismo accipere veram & christianam justitiam, quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit. Dixerat autem prius hanc justitiam consistere in susceptione gratiæ & donorum. Frgo &c.

An Adam fuerit creatus cum gratia sanctificante, an vero post creationem illam acquisierit, incertum est. Prius affirmant Thomistæ, posterius Scotistæ. Tridentinum rem incertam relinquere voluit; cum enim canon supra adductus ita primo fuisset propositus, ut diceretur primum *hominem conditum esse in sanctitate & justitia*, Patres mutarunt illud *conditum* in *constitutum*, quod potest verificari, etsi Adam non fuisset in gratia creatus. Cum Thomistis tamen sit.

ASSERTIO. *Probabilius primo homini in sui creatione gratia sanctificans concessa fuit.*

Prob.

(a) *Sess.* 5. *in decret. de peccat. orig. Can.* 1.
(b) *Sess.* 6. *cap.* 7.

Prob. aliis omnibus omissis hac ratione. Angelis in illorum creatione collata est gratia sanctificans. Ergo etiam primo homini, cum sufficiens inter utrumque casum disparitas quoad hoc assignari non possit.

Obj. ex Scripturis: Ait Apostolus (a): *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Quo loco constituitur oppositio inter Adamum & Christum. Cum ergo per verba adducta indicetur Christum fuisse (quoad humanitatem) creatum cum gratia sanctificante, remanet, ut Adam sine illa creatus fuerit.

℟. Oppositionem quam adducit Apostolus, in eo consistere, quod Adam habuit vitam mortalem, quam nobis communicavit; Christus autem resurgendo obtinuit vitam immortalem, quam ibidem nobis communicavit. Sane Apostolus eo loco de resurrectione tantum corporum loquitur. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus oppositionem constituit inter gratiam collatam primo homini, & gratiam collatam post peccatum prædestinatis, quod prima dederit tantum potentiam ad habendam justitiam: secunda det etiam ipsam justitiam: *Prima*, inquit, (b) *gratia est, qua fit ut habeat homo justitiam, si velit: secunda plus potest, qua etiam fit, ut velit.* Ut ergo stet oppositio, dicendum Adamum ante peccatum non habuisse justitiam, quam habent prædestinati. Quid est autem justitia nisi gratia sanctificans? Ergo &c.

℟. Augustinum ibi non agere de justitia simpliciter, sed de perseverantia in eadem justitia, quam non habuit Adam, cum peccaverit, habens ve-

---

(a) 1. *Cor.* 15.

(b) *De corrept. & grat. cap.* 11.

vero prædestinati. Hoc etiam manifestius patebit in Tractatu de Gratia, ubi agendo de conditione gratiæ actualis collatæ Adamo, examinabo quæ habet S. Doctor lib. de correpr. & gratia circa hoc.

Addo probabilius videri Adamo gratiam sanctificantem collatam fuisse dependenter ab illius cooperatione eodem modo & iisdem proportionaliter de causis, quibus id asserui circa Angelos in Tractatu de iisdem Angelis.

Præter gratiam sanctificantem habuerunt etiam primi parentes gratias actuales; hæ enim erant necessariæ, ut possent malum supernaturaliter vitare, & opera virtutum supernaturalium exercere: (a): *Sicut enim*, ait S. Augustinus, *oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic & homo etiam perfectissime justificatus nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*. Cujusnam fuerit conditionis hæc gratia actualis ad Tractatum de Gratia remitto examinandum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Justitia originali hic acturus noto nomine *justitiæ originalis* juxta communiorem & probabiliorem Theologorum explicationem venire ordinem perfectum, qui in primis parentibus habebatur tum relate ad Deum, tum relate ad se ipsos: relate ad Deum, quatenus illorum mens perfecte Deo subjiciebatur, & promptissime illi obediebat: relate vero ad se ipsos, quatenus ratio plenum habebat dominium nedum supra omnem consensum, quod habet etiam post peccatum, sed insuper supra omnem motum & appetitum sive concupiscibilem, sive irascibilem: & corpus perfecte animæ inserviebat, adeo ut hæc nullam difficultatem ex corpore ipso persentiret in actibus suis.

Hac

(a) *De Nat. & grat. cap.* 26.

Hac justitia donatum fuisse Adamum in sua creatione concedunt omnes & illi etiam, qui negant ipsum habuisse in creatione gratiam sanctificantem, qui proinde in homine prius fuisse justitiam originalem contendunt, postea gratiam sanctificantem. Patet etiam ex Tridentino, quod docet (a) *concupiscentiam* (quæ est primarium consequens privationis justitiæ originalis) . . . vocari peccatum, *non quod vere, & proprie . . . peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*. Si ergo concupiscentia est ex peccato, ante peccatum non erat. Patet etiam ex Augustino dicente (b): *Cum primorum illorum hominum fuerit prima justitia obedire Deo, & hanc in membris adversus legem mentis suæ legem concupiscentiæ non habere, nunc post eorum peccatum, nata ex eis nostra carne peccati, pro magno obtinetur ab his, qui obediunt Deo, desideriis ejusdem concupiscentiæ non obedire*.

Sed ad pleniorem tum hucusque dictorum, tum dicendorum circa concupiscentiam intelligentiam hæc circa ipsam notanda sunt.

Concupiscentia nihil est aliud, nisi appetitus naturæ sensitivæ, quo tendit in bonum delectabile. Cum autem appetitus hic maxime tendat in venerea, proinde communius sumitur concupiscentia pro appetitu ad venerea.

Distinguendum est porro inter motus concupiscentiæ & consensum voluntatis in eandem; fieri enim potest, ut quis sentiat inclinationem appetitus in bonum sensibile, cui tamen inclinationi ipse resistat, quo casu habetur motus concupiscentiæ sine consensu voluntatis.

Sed motus ipsi concupiscentiæ dupliciter se habere possunt: primo possunt esse in potestate rationis & voluntatis, ita scilicet ut nonnisi illa permit-

---

(a) *Sess. 5. in Decr. de pecc. orig. can. 5.*
(b) *De pecc. merit. cap. 23. lib. 2.*

mittente excitentur: secundo ut non sint in tali potestate, ita scilicet ut etiam contra imperium voluntatis excitentur. Concupiscentia sumpta pro motu appetitus in objecta delectabilia præveniente imperium rationis est homini naturalis; homo enim naturaliter appetit delectabilia, unde naturale est ipsi, ut sibi proposito objecto delectabili in illud feratur.

Nec dicas hos motus, qui etiam appellantur rebellio partis inferioris contra superiorem, esse pœnam peccati, adeoque antecedenter ad peccatum non futuros fuisse: ex quo sequitur naturaliter hominem fuisse a talibus motibus ac rebellione immunem; nam hæc rebellio est quidem pœna peccati, sed est etiam naturalis conditio: & en quomodo. Ab hac naturali conditione fuerat homo Dei misericordia exemptus, ob peccatum autem fuit illi denuo subjectus. Res ita proportionaliter hic accidit, ac cum extendente Moyse virgam aquæ maris, quæ vadum Israelitis permiserant, in locum suum sunt restitutæ; hæc enim aquarum restitutio fuit quidem naturalis, sed fuit etiam pœna Ægyptiorum, quos occidit. Ita a pari in casu.

Quod si Patres aliquando justitiam originalem, sicuti & cætera supernaturalia dona, adeoque immunitatem a rebellione concupiscentiæ dicunt naturalia, hoc sensu dicunt, quod sunt homini data ab origine & simul cum natura, quo sensu Apostolus appellat originale peccatum naturale, dum inquit: (a): *Eramus natura filii iræ*.

A concupiscentia igitur aliisque similibus passionibus fuerat homo per misericordiam Dei exemptus, adeoque stat justitiam originalem non esse hominis naturalem conditionem, sed beneficium Dei.

Cum

(a) *Ephes.* 2.

Cum autem dicitur hominem in statu innocentiæ fuisse immunem a concupiscentia, id ita intelligitur, ut fuerit immunis a motibus inordinatis & involuntariis tendentibus ad illicita & turpia. Cæterum aliquis tunc erat, & deinceps fuisset, etsi perseverasset ille status, appetitus ad venerea directus ad propagationem speciei; homines enim in statu innocentiæ propagandos fuisse per naturalem generationem videtur certum, quidquid aliqui in contrarium dixerint; Deus enim primis parentibus dixit: *Crescite & multiplicamini* utique per naturalem generationem. Sed appetitus hic non fuisset inordinatus & præveniens rationem, fuisset namque ordinatissimus, & non fuisset excitatus, nisi ratione permittente & volente, adeoque optime stetisset cum justitia originali.

Quod autem dixi circa concupiscentiam valet proportionaliter de omnibus aliis passionibus.

ARTICULUS QUINTUS.

In statu innocentiæ homines futuri fuissent immortales; nam dixit Deus Adamo: (a) *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, quibus & mortem animæ & mortalitatem corporis juxta Patres Deus Adamo est comminatus. Ergo antecedenter non erat mortalis. Rursus dicitur (b): *Deus mortem non fecit*: & (c): *Creavit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: & Apostolus ait (d): *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* In quæ verba Augustinus inquit: (e): *Puto quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara & aperta sententia. Corpus, inquit*

(a) *Gen.* 2. (b) *Sap.* 1.
(c) *Ibid.* 2. (d) *Rom.* 8.
(e) *Lib.* 1. *de pecc. merit. cap.* 4.

quit, mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terra pulvere factum est, sed propter peccatum. Quid amplius quærimus? His addenda damnatio propositionis 78. inter Bajanas: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

Cum autem dicitur primos homines fuisse immortales, id eatenus non dicitur, quatenus absolute mori non possent, potuerunt enim justitiam originalem peccando amittere, & sic tandem mori, ut accidit de facto; sed quatenus poterant non mori, si voluissent. Ita Augustinus inquiens (a): *Illud* (corpus Adami) *ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat, idest mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est autem posse mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori, qui, nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.*

Immortalitas ergo hæc, ut etiam innuit Augustinus, non proveniebat ex quo primi parentes corpus haberent diversæ naturæ ab illo, quod habuerunt post peccatum; corpus enim habebant iis partibus constans, quæ per se ad illius dissolutionem tendebant (ex quo etiam patet immortalitatem non fuisse illorum conditionem naturalem, sed beneficium gratiæ.) Proveniebat autem ex Dei auxilio tum extrinseco, quatenus Deus peculiari providentia illos præservabat ab omni læsione agentium externorum terrestrium & infernorum, tum in-

(a) *Lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 25.*

intrinseco consistente in comestione ligni vitæ, quod talem habebat in se virtutem (naturalem quidem respectu sui, sed supernaturalem respectu illorum,) ut vel semel vel pluries gustatum a morte præservaret saltem ad longum tempus, quo transacto sustulisset Deus homines de mundo, eosque ad æternam gloriam vivos transtulisset.

ARTICULUS SEXTUS.

Quod spectat ad prolem, quam in statu innocentiæ habuissent primi parentes, docent Theologi, quod, si ille status perseverasset, probabilius omnes illorum posteri fuissent prædestinati, vel saltem plures fuissent prædestinati, quam reprobi; primo enim omnes fuissent nati in gratia sanctificante & justitia originali, quas ipsis veluti meruisset Adam Deo obediendo, sicuti e contra per inobedientiam illis meruit, ut nascerentur peccatores. (Dixi *veluti meruisset*; de merito enim rigoroso non satis constat.) Secundo etsi non fuissent statim confirmati in gratia, quod nec Adamo contigit, fuissent tamen probabiliter confirmati quamprimum, sicuti Adamo contigisset: tertio non ita facile fuisset peccare, tum quia habuissent dominium supra concupiscentiam cæterasque passiones, tum quia illos maxime juvassent bona exempla & adhortationes majorum &c.: quarto si aliqui cecidissent, facile potuissent per gratiam Dei a peccato resurgere, cum tunc non habuissent tot impedimenta, quot modo habent.

Si perseverasset ille status, plures fuissent homines, qui nunquam modo erunt, plures item non fuissent ex iis, qui modo sunt; primo enim in illo statu matrimonium laudabilius fuisset virginitate, cum ex illo orituri essent homines Deo amici, & probabilius prædestinati, & tunc illud secum non traxisset incommoda, quæ modo trahit, unde plures fuissent, qui matrimonium contraxissent. Præterea vel nulli fuissent, vel saltem pauci homines præmatura morte erepti, adeoque plures fuissent, qui generationi operam dedissent. At plures

etiam

etiam non fuissent, qui modo sunt, ut qui nascuntur vel ex adulterio, vel fornicatione; hæc enim peccata vel nulla, vel saltem paucissima fuissent.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Habuerunt etiam primi homines in statu innocentiæ perfectum dominium super bruta juxta illud (a): *Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli & universis animantibus, quæ moventur super terram*. Nedum ergo illis fuerunt subdita omnia animalia etiam ferocissima, sed insuper potuerunt de singulis facere, quod ipsis libuisset: & hoc de aliis hominibus dicendum fuisset, si status ille perseverasset.

ARTICULUS OCTAVUS.

Quod tandem spectat ad Paradisum terrestrem, in quem primi parentes translati fuerunt, adverto Paradisum hunc non fuisse totum mundum, ut aliqui sunt opinati, neque locum extra mundum, ut aliorum fuit sententia, sed quemdam deliciarum locum in hoc mundo constitutum. In illo præter alias arbores duæ erant præcipue notabiles, scilicet arbor vitæ & arbor scientiæ boni & mali. Quatuor flumina de illo egrediebantur, quorum nomina sunt Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates. Reliqua ad hunc Paradisum spectantia, puta quæ pertinent ad locum, ad extensionem illius, utrum modo existat &c., utpote fere omnia incerta dimitto.

CA-

(a) *Gen.* I.

CAPUT QUARTUM.

De statu puræ naturæ.

PRæmittam hic necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. assertionem statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Agitur hic de statu puræ naturæ, cum hæc tractatio maxime inserviat ad manifestandam beneficiorum illorum magnitudinem, quæ Deus homini in statu innocentiæ fuit impertitus.

Celebris est itaque controversia, utrum hic status sit possibilis nec ne. Hujus controversiæ ratio ut recte percipiatur.

Noto 1. hunc statum, ut etiam supra attigi, nunquam fuisse actualem; primi enim parentes fuerunt a Deo creati cum justitia originali & probabiliter etiam cum gratia, quæ sunt dona supernaturalia, adeoque excludentia statum puræ naturæ.

Noto 2. inter impugnatores possibilitatis status puræ naturæ communiter numerari non modo Bajum, cui adhæsit Jansenius, sed etiam doctissimos Theologos Norisium, Contensonium, Sotum, aliosque, sed diverso modo; conveniunt enim omnes in hoc, quod non potuerit homo creari sine justitia originali, sine immortalitate, sine gratia &c. Sed cum Bajus vellet hæc omnia esse homini naturalia, ut patet tum ex propositione ipsius Baji 26. inter damnatas: *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*, tum ex propositione 78. supra relata: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*: consequenter negavit potuisse hominem creari sine illis, quia non potuit creari sine perfectionibus naturalibus: è contra Doctores posterius

rius adducti Catholici fatentur gratiam, justitiam originalem, immortalitatem &c. esse dona supernaturalia, asserunt tamen non potuisse creari hominem sine his ob motiva inferius adducenda.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Possibilis est status puræ naturæ.*

Prob. hac unica ratione. Non implicat hominem creari sine gratia supernaturali, sine immortalitate, sine justitia originali &c. Ergo &c. Prob. antecedens. Gratia, immortalitas, justitia originalis &c. sunt dona supernaturalia & naturæ indebita, ut de gratia constat ex ipsius notione, & probabitur ex professo in Tractatu de gratia, & de immortalitate, & justitia originali supra probatum est. Peccatum autem non est aliquid necessario in natura hominis imbibitum, ut de se patet. Eo ipso non implicat hominem sine his creari. Ergo &c.

Obj. ex Augustino. I. in statu puræ naturæ homo subjiceretur multis miseriis & ipsi morti citra peccatum. Hoc autem est contra Augustinum, qui ad probandum originale hac ratione utitur (a): *Si* (Deus) *tanta parvulis mala .... nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus.* Ergo &c.

II. S. Doctor asserit sine gratia Deum amari non posse; inquit enim (b): *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani, si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Cum ergo pro statu puræ naturæ gratia non sit admittenda, consequenter in illo homo non potuisset Deum amare. Quis autem credat possibilem statum, quo Deum homo amare non possit?

(a) *Lib. 2. contr. Jul. cap. 10.*
(b) *De grat. & lib. arb. cap. 8.*

III. S. Doctor aſſerit opera bona eſſe non poſſe sine gratia; inquit enim (a): *Omnia bona & magna & media & minima ex Deo ſunt*. Ergo in statu puræ naturæ, qui excludebat gratiam, homo non potuiſſet ullum opus bonum exercere, quod cum ſit inconveniens, repugnabit proinde ille status.

IV. S. Doctor aſſerit homini ex natura ſua eſſe debitam beatitudinem; Pelagium enim arguens, quod nollet parvulos non baptizatos & per ipsum originali non infectos admitti ad regnum cœlorum, inquit (b): *Quare patrimonium regni cœlorum abripis innocenti ....? Quæ eſt iſta juſtitia? Dic quare Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam nec ſuam, nec de parente tractam?* Quæ ratio non valeret, ut patet, si homini non maculato peccato naturaliter non eſſet debita beatitudo. Cum ergo hæc in statu puræ naturæ non poſſet obtineri, non enim poteſt etiam per ipſum Auguſtinum pluribus in locis obtineri ſine gratia, quæ ab illo statu excluderetur; remanet, ut status hic ſit impoſſibilis.

℟. ad I. miſerias, quibus homo in statu puræ naturæ ſubjiceretur, non futuras pœnas, ſed ſolum conſectaria naturalis conditionis illius, quo modo ſimiles miſeriæ & mors ſunt conſectaria naturalis conditionis brutorum. Quo tamen non obſtante recte Auguſtinus contra Pelagianos ex illis arguit exiſtentiam originalis; nam illæ in præſenti statu ſunt originalis pœna, quam utique ſi infligeret Deus non exiſtente culpa, appareret injuſtus; ſicut enim alibi innui, Deus miſericorditer statuerat, ut homo quam naturaliter iis ſubjectus de facto tamen non ſubjiceretur, niſi peccaſſet. Volebat ergo, ut homo illis non ſubjiceretur, niſi in pœnam peccati. Quis autem non videt injuſtitiam stan-

---

(a) *Lib.* 1. *retr. cap.* 9.
(b) *Serm. de verb. Apoſt. ol.* 14. *nunc* 294. *cap.* 6.

fore stante tali lege, quod homo illis subjiceretur non supposito peccato?

Ad II. ℟. amorem, ad quem Augustinus asserit necessariam gratiam, esse amorem supernaturalem ad vitam æternam conducentem. Cum enim Pelagius contenderet non esse necessariam gratiam ad eandem vitam æternam obtinendam; hinc contendebat posse elici sine gratia opera, quæ ad illam conducerent, adeoque posse sine gratia amari Deum amore sic conducente. Pro tali igitur amore necessariam adstruit gratiam Augustinus. Sed præter hunc amorem datur etiam amor naturalis insufficiens quidem ad vitam æternam, sed qui tamen est verus amor, & sine gratia haberi potest. Sane hunc amorem esse admittendum probatur omissis aliis ex quo Apostolus (a) dicit Gentes, quæ legem non habent, naturaliter facere quæ legis sunt, inter quæ præcipuum certe est amare Deum; & ex S. Bernardo, qui ait (b): *Clamat intus ei* (homini) *innata & non ignota ratione justitia, quia & toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat*; unde patet, quam merito damnata sit propositio 34. inter Bajanas; *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est & commentitia ad illudendum sacris Litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata*. Potest ergo naturaliter diligi Deus & quidem tum ob beneficia ab illo accepta, tum etiam propter se; utrumque enim motivum potest naturaliter aliquo modo cognosci, & animum excitare ad Deum amandum.

Scio contra amorem Dei naturalem objici tum Arausicanum II., quod canones suos magna ex parte traxit ex Augustino, quodque generaliter

F 2 de-

(a) *Rom.* 2.
(b) *Lib. de dilig. Deo*.

definit, *Prorsus Dei donum esse diligere Deum:* & Tridentinum, quod & ipsum doctrinam Augustini secutum est, & ait (a): *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, & diligere, ut oportet, anathema sit.*

Sed perperam hæc objiciuntur; nam Arausicanum & Tridentinum non de quocumque amore loquuntur, sed de amore ad vitam æternam conducente, quod innuitur per illa verba *sicut oportet* adhibita tum infra ab Arausicano, tum loco adducto a Tridentino. Quod si etiam omitteretur, per adducta testimonia probari necessariam esse gratiam ad amorem Dei naturalem, hæc tamen necessitas deberet intelligi pro statu naturæ lapsæ, in qua liberum arbitrium valde infirmatum est, non pro statu puræ naturæ, in qua illud in toto suo naturali vigore fuisset constitutum. Vide etiam quæ adducentur in Tractatu de Gratia, ubi de necessitate ejusdem gratiæ ad amorem Dei naturalem.

Ad III. ℟. quod si Augustinus assereret necessitatem gratiæ ad quæcumque virtutum opera, deberet intelligi relate ad naturam lapsam, non ad naturam puram cohærenter ad supra dicta. Sed hoc non asserit Augustinus, qui necessitatem gratiæ solum adstruit pro operibus ad vitam æternam conducentibus. Sane S. Doctor expresse asserit etiam in natura lapsa posse aliqua virtutum opera exerceri sine gratia, dum inquit; (b) *Quædam facta* (infidelium) *vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, sed etiam merito recteque laudamus.* Cum autem opera bona sine gratia ad vitam æternam non possint perducere, ideo

(a) *Can.* 3.
(b) *Lib. de Spirit. & litt. cap.* 27.

ideo istis operibus aliquando nomen operum bonorum concedi non vult S. Doctor non quidem absolute, sed comparate ad opera, quibus vita æterna acquiritur, quæ quidem opera sola ad veram virtutem pertinere dicit, dum inquit (a): *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ esse possunt virtutes*. Videantur etiam, quæ dicentur in Tractatu de Gratia circa potestatem, quam habent infideles & peccatores ad exercenda opera moraliter bona.

Ad IV. ℟. Homini naturaliter esse quidem debitam beatitudinem aliquam, non autem illam, quæ in clara Dei visione consistit. Sane hanc non esse ipsi naturaliter debitam vel ex eo patet, quod juxta omnes est supernaturalis. Debita est ergo homini naturaliter beatitudo aliqua naturalis probabiliter in contemplatione & amore Dei naturali consistens. Quo tamen non obstante stat optime argumentum Augustini; ipse enim supponit hominem esse misericorditer a Deo ordinatum ad beatitudinem supernaturalem, & hoc supposito recte docet injustum fore, ut ab hac excluderetur sine ipsius culpa. Hanc autem ordinationem & ab ipsis Pelagianis admissam fuisse ex eo patet, quod volebant vitam æternam posse acquiri, & acquiri de facto sine gratia. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Status puræ naturæ repugnat Dei sanctitati; nam in illo fuissent motus concupiscentiæ & quidem rationem prævenientes, qui cum a peccato non essent, originem haberent a natura, adeoque a Deo. Dedecet autem divinam sanctitatem, quod Deus sit auctor concupiscentiæ, quæ est mala, cum ad peccatum inclinet. Cujus rei etiam indicium est, & quod homines pudet actuum concupiscentiæ, & quod non liceat sequi il-

(a) *Lib. 4. contr. Jul. cap. 3. n. 19.*

illius inclinationem, quod tamen liceret, si non esset mala.

Ante responsionem noto concupiscentiam habere objectum materiale & formale. Primum est in quod tendit, scilicet objectum delectabile, sive licitum, sive illicitum: secundum est ratio, ob quam in illud tendit, quæ est ipsius delectabilitas. Cum ergo concupiscentia tendit in aliquid illicitum, objectum materiale hujus tendentiæ est objectum illicitum, formale non est illicitudo, sed delectabilitas sensibilis, cum concupiscentia non tendat in objectum illicitum qua illicitum, sed qua delectabile. Unde sequitur concupiscentiam per se tendere in objectum sensibile & delectabile, in objectum vero illicitum, si quando tendit, per accidens tendere. Hoc posito

℟. Non dedecere Deum, quod sit auctor concupiscentiæ eo modo, quo dicitur auctor a propugnatoribus possibilitatis status puræ naturæ; illi enim faciunt Deum auctorem concupiscentiæ, quatenus est auctor appetitus, quem homo habet ad bonum delectabile non ut illicitum, sed præcise ut delectabile. Quod si aliquando bonum delectabile est etiam illicitum, tunc illicitudo est conjuncta cum delectabilitate per accidens, unde si hoc quoque bonum appetit homo, illud per accidens appetit. Non est autem incongruum admittere Deum auctorem appetitus ad illicitum, dummodo hic per se ad illicitum non tendat, sed tantum per accidens. Verbo dicam. Deus est quidem auctor illius appetitus, qui aliquando est inordinatus, sed non est auctor inordinationis, quam tantum permittit (a): quomodo, inquit Augustinus, *ejus hominis, qui fatuus natus est, Deum dicimus, quamvis non dicamus ipsius fatuitatis auctorem: quæ fatuitas non est natura atque substantia, quæ non na-*

(a) *Lib. 3. op. imp. contra Julian. Cap.* 160.

naſcitur, niſi creante Deo, ſed ejusdem naturæ vitium, quod accidit ſinente Deo

Et ſane ſicuti non implicat, quod Deus ſit auctor tum libertatis, quamvis hæc aliquando ad peccatum declinet, tum potentiæ intellectivæ, quamvis hæc aliquando in errores prolabatur, & hoc quia iſti defectus tum ex libertate, tum ex potentia intelligendi per accidens tantum proveniunt, ita a pari in caſu. Ideo autem Deus hanc inordinationem permittit, ut homo exerceatur, & ut ei reſiſtendo (quod utique potuiſſet etiam in ſtatu puræ naturæ ſaltem adjutus auxiliis intra ordinem naturalem ſiſtentibus) coronam mereatur, quæ tamen in ſtatu puræ naturæ ſtetiſſet intra ordinem naturalem.

Ex his patet concupiſcentiam per ſe non eſſe malam moraliter, cum hominem non reddat culpabilem, ſed ad ſummum eſſe malum phyſicum, ſeu defectum conſequentem intrinſeca principia naturæ humanæ, quæ cum ſit nedum rationalis, ſed etiam ſenſitiva, neceſſario ex ſe tendit non ſolum in bonum conveniens rationi, ſed etiam in bonum ſenſibile. Adde quod in ſtatu puræ naturæ concupiſcentia non fuiſſet tam effrænis, quam eſt modo poſt peccatum.

Pudet quidem actuum concupiſcentiæ, & puduiſſet etiam in ſtatu puræ naturæ, ſed non ideo dicendum illam eſſe malum morale; nam etiam defectus naturales pudorem ingerunt, ut patet in quibusdam actionibus, aut languoribus naturalibus.

Neque hinc ſequitur licitum eſſe conſentire motibus concupiſcentiæ; nam iſti ſunt ex dictis a Deo permiſſi, & ita etiam fuiſſent in ſtatu puræ naturæ, ut illis ratione reſiſtamus, & reſiſtendo coronemur Et ſane licet non ſint mala moraliter, ad malum tamen quamvis per accidens ſubinde inclinant. Ergo non licet iis conſentire.

Videantur etiam, quæ infra de concupiſcentia dicentur, ubi de peccato originali.

DISSERTATIO II.

De lapsu Hominis.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. agam de lapsu Adami: in 2. de propagatione peccati Adami, seu de peccati originalis existentia & propagatione: in 3. quæram in quonam sita sit quidditas, seu essentia peccati originalis: in 4. utrum Deipara fuerit ab originali immunis.

CAPUT PRIMUM.

De lapsu Adami.

EXponam hic 1. quæ pertinent ad præceptum a Deo factum primis parentibus: 2. agam de illorum tentatione facta a Dœmone: 3. de illorum prævaricatione: 4. de pœnis illis a Deo ob peccatum inflictis: 5. de illorum pœnitentia.

ARTICULUS PRIMUS.

Homini jam creato & in Paradisum voluptatis translato hoc præceptum imposuit Deus (a): *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc præ-

(a) *Gen.* 2.

præcepto Adamum & Evam ligatos fuiſſe certum eſt; licet enim cum primo eſt datum, ſoli Adamo videatur datum, ex capite tamen ſequenti ſatis eruitur datum etiam Evæ; nam hæc ſerpentem alloquens inquit (a): *De fructu ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.*

Præcipue rationes, ob quas dedit Deus homini hoc præceptum, fuerunt primo, ut oſtenderet ſe Dominum; quod maxime oſtendebat prohibendo rem, quæ non erat per ſe mala: ſecundo ut illius obedientiam exerceret: tertio ut plenitudo beatitudinis, quam ipſi poſtea conceſſiſſet, non merum donum eſſet, ſed etiam præmium.

Præceptum hoc fuiſſe obligatorium ſub gravi certum eſt, & conſtat ex illo: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*: quo primis parentibus comminatus eſt Deus principaliter mortem animæ, & minus principaliter mortem corporis, quam de facto, ſtatim ac peccarunt, ſubierunt, quatenus mortales evaſerunt.

Simplicem tactum fructuum arboris ſcientiæ non prohibuit Deus. Licet enim Eva ſerpenti reſpondens dixerit: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*; hoc tamen intelligitur dictum vel per exaggerationem, ut ſcilicet Eva oſtenderet, quam deberent eſſe ſolliciti de pomo non comedendo, vel non de tactu ſimpliciter, ſed de tactu ad comedendum: ut omittam quod per aliquos præceptum hoc licet commune tam Adamo, quam Evæ, fuit tamen a Deo ſoli Adamo immediate propoſitum, manifeſtandum poſtea ab ipſo mulieri, quam ut redderet cautionem, de ſuo addit, ne fructus vetitus tangeretur.

(a) *Gen.* 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Invidens Diabolus protoparentum felicitati, curavit, ut impositum præceptum transgrederentur. Per serpentem itaque colloquium instituit cum Eva, cui tandem suasit, ut de pomo vetito gustaret, daretque marito.

Quomodo hæc tentatio peracta sit controvertitur. Putant aliqui interna tantum suggestione Evam fuisse seductam a Diabolo, qui metaphorice dicitur serpens: inter hos est Cajetanus. Volunt alii serpentis externam faciem a Diabolo assumptam: alii etiam aliter. Communius Theologi id intelligunt de vero serpente, quo usus sit Diabolus ad Evam decipiendam. Cum his sit.

Assertio. *Diabolus per verum serpentem allocutus est Evam.*

Prob. ratione. Verba Scripturæ intelligenda sunt in sensu obvio & litterali, nisi aliquid obstet ex communissimo axiomate. Nihil obstat in casu, ne dicatur per verum serpentem Diabolum locutum esse cum Eva, ut patebit solutione objectionum. Ergo &c.

Obj. ex Scriptura I. Serpens dicitur callidior cunctis animantibus terræ. At quomodo hoc de vero serpente intelligatur?

II. Dicitur Eva allocuta serpentem. At quomodo hoc de vero serpente intelligatur, quem sciebat Eva non esse loquendi capacem, & a quo procul dubio fugisset?

III. Dicitur inflicta pœna serpenti, ut super pectus suum graderetur. At hoc de vero serpente intelligi nequit, cujus est naturalis conditio, ut ita gradiatur. Ergo &c.

℞. Ad I. serpentem dici callidiorem cunctis animantibus primo ob naturalem illius astutiam tum ad tuendam vitam, tum ad defendendum se ab incantationibus, tum ad exuendam pellis vetustatem: secundo quia illo tamquam instrumento utebatur Diabolus, qui, cum aliis non sic uteretur, serpentem ideo reddebat aliis callidiorem.

Ad

Ad II. ℟. Evam probabiliter existimasse aliquam superiorem virtutem in serpentem agere, ideoque cum illo instituisse sermonem. Quod si non fugit, nil mirum; a serpente enim ut præcise tali non erat, cur in statu innocentiæ timeret; nec timebat a virtute illum informante, quæ blandis illam verbis alloquebatur.

Ad III. ℟. Pœnam mystice referri ad Diabolum: litteraliter autem ad serpentem, cui in pœnam fuit constituta ipsa naturalis conditio, ut primis parentibus nuditas, & mulieri angustia in partu. Nec mirum; licet enim materialis serpens fuerit inculpabilis, voluit tamen Deus ostendere odium in peccatum sæviendo nedum in causas illius culpabiles, sed etiam in instrumenta, quæ utcumque ad peccatum cooperata sunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Serpens igitur allocutus Evam ipsi suasit, ut de pomo vetito ederet, docens comminationem Dei de morte subeunda non esse timendam, eamque alliciens vana spe divinæ scientiæ. Dedit hæc marito: ambo comederunt, & sic ambo divinum præceptum transgressi sunt.

Peccatum primorum parentum multas in se continuit species peccatorum. Nam Eva primo peccavit curiositate affectans scire quæ Deus sciebat, qua ratione peccavit quoque superbia: peccavit etiam gula; nam allecta quoque fuit ad comedendum, ex quo viderit bonum esse lignum ad vescendum: peccavit inobedientia transgrediendo divinum mandatum: peccavit tandem scandalo; nam maritum ad peccatum induxit. Adam vero & ipse peccavit inobedientia, curiositate, superbia, & inordinato amore in uxorem.

Utrum peccaverint peccato infidelitatis controversum est. Affirmant plures Patres & Theologi: alii id affirmant de Eva, negant de Adamo: alii, inter quos S. Thomas, id negant de utroque.

Ipse in primis assero, probabilius videri Adamum peccato infidelitatis non peccasse; non enim apparet, unde tale peccatum sit eruendum. Non sane ex quo fuerit transgressus divinum mandatum non obstante comminatione divina de morte subeunda: nam hoc non probat Adamum non credidisse Deo, sed solum hoc malum elegisse, ut sibi satisfaceret, quomodo quicumque læthaliter peccat non obstante comminatione pœnarum æternarum, non ideo non credit has pœnas, sed solum, ut sibi satisfaciat, has pœnas eligit. Præterea comminationem mortis potuit Adamus interpretari vel de morte solum spirituali, vel de morte etiam temporali non hic & nunc, sed postea subeunda. Nec ex quo appetierit similitudinem cum Deo quoad scientiam boni & mali; nam ex una parte non constat ipsum appetiisse scientiam omnino similem scientiæ Dei, cumque ex alia circa illam qualemcumque scientiam, quam appetiit, Deus nihil asseruisset, non apparet, quod Adam illam appetendo non crediderit Deo. Ergo &c.

Circa Evam major est difficultas; nam dum serpens pollicitus fuerit ipsam non esse morituram, ut asseruerat Deus, videtur hæc inducta ad comedendum ex hoc, quod serpenti contra divinam assertionem crediderit. Hoc etiam confirmare videtur quod redarguente Deo primos parentes de peccato respondit quidem Adam (a): *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*, quibus causam peccati refudit in amorem mulieris, sed ipsa respondit: *Serpens decepit me*, quibus causam peccati refudit in errorem intellectus per serpentem inductum, qui error ex dictis ad infidelitatem revocatur. Accedit, quod Apostolus dicat (b): *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, quibus ostendit in mu-

---

(a) *Gen.* 3. (b) 1. *Tim.* 2.

mulieie fuisse ad differentiam Adami, errorem jam dictum in intellectu. Ex his patet majores esse rationes pro infidelitate Evæ, quam Adami.

Cæterum nec istæ rationes videntur invictæ; non enim apparet Evam credidisse Serpenti Deum facienti mendacem, cum potuerit, ut supra dixi de Adamo, ex gula tantum & superbia allici ad peccandum, & deceptio, quam in excusationem Eva adduxit, possit explicari per tentationem, quæ effecit, ut repræsentaretur hic & nunc bona comestio pomi, quæ tamen tot paritura erat mala, quod poterat etiam citra infidelitatem accidere, quomodo quicumque peccat potest dici a Diabolo deceptus per hoc, quod alliciatur ad ponendum opus prohibitum, licet hoc subinde citra infidelitatem contingat: & tandem Eva possit dici seducta, quia fuit inducta ad peccandum a Diabolo volente directe ejus ruinam, cum e contra Adam fuerit ad peccandum inductus ab Eva talem ruinam directe nolente.

Peccatum priorum parentum fuit sin minus in se & ratione objecti, saltem ratione damni gravissimum. Licet enim ex objecto fuisset gravius peccatum E. G. blasphemiæ, odii Dei &c., cum tamen peccando, ut de facto peccarunt, non se ipsos solum læserint, sed etiam posteros, ut infra probabitur; patet eos peccando majus damnum aliis afferre non potuisse, quam quod de facto attulerunt.

Utrum gravius peccaverit Adam, an Eva controvertitur. Videtur distinctione procedendum; nam juxta aliquem respectum gravius peccavit Adam, juxta alium Eva. Si enim statuatur hanc, non illum peccasse infidelitate, patet ex hoc gravius fuisse peccatum Evæ, quod etiam certe fuit gravius ratione scandali. At gravius fuit peccatum Adami, eo quod majore cognitione & vividiore ipse pollebat, quam mulier, & erat caput mulieris, adeoque, potius quam illi assentiretur, illam debebat objurgare, & tandem licet mulier ipsa cooperata sit ruinæ humani generis, est tamen cooperata solum mediate, quatenus scilicet maritum induxit ad peccatum, quod in posteros propagatum est,

est, cum Adam immediate cooperatus sit, quatenus per ipsius immediate peccatum omnes homines constituti sunt peccatores, ut infra etiam uberius explicabitur.

Expleto peccato aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt se esse nudos (a), *Non quod eis sua nuditas esset incognita*, inquit S. Augustinus, *sed turpis nuditas nondum erat*. Erubescentia igitur ducti consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, & cum audissent vocem Domini, absconderunt se. Sed neque se, neque patratum peccatum abscondere potuerunt ab oculis Domini, qui eos in judicium vocatos de eodem interrogavit, redarguit, condemnavit.

ARTICULUS QUARTUS.

Post latam igitur in serpentem divinam maledictionem distinctis sententiis primos parentes condemnavit Deus. Ad Evam inquit (b) *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris*, quibus triplex Evæ pœna inflicta est: primo multiplicatio conceptuum, quæ quidem, licet in se & in statu innocentiæ non fuisset pœna, sed bonum, pœna tamen evasit post peccatum tum ob incommoda, quæ subeunt mulieres, dum sunt prægnantes, tum ob paupertatem, qua plerumque prohibentur filios alere, tum quia aliquando filii sunt deformes, infirmi, manci &c. tum denique quia ex iisdem filiis plerique sunt reprobi, pauci vero prædestinati: secundo dolor in pariendo: tertio subjectio viro, quæ, licet fuisset etiam in statu innocentiæ, diversa tamen futura erat post peccatum, cum prius fuisset subjectio voluntaria & jucunda, postea vero futura esset involuntaria & ærumnosa.

Hæc

(a) *Lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 17.
(b) *Gen.* 3.

Hæc autem fuit lata in Adamum sententia: (a) *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi . . . In sudore vultus tui vesceris pane &c.* His pariter triplex Adamo pœna est inflicta: primo necessitas exercendi terram, ut fructus germinaret; licet enim ante peccatum necesse fuisset terram exercere, suave tamen fuisset illud exercitium, præcipue cum cœlestes influentiæ tunc semper futuræ fuissent opportunæ terræ indigentiis: secundo productio spinarum & tribulorum e terra, quæ vel ipsa antea non producebat, ut aliquibus placet, vel si producebat, ut placet aliis, producebat solum ad ornamentum & cibum brutorum, non vero ad pœnam hominum: tertio parcitas in victu, quem non solum corporali exercitatione, sed etiam improbo labore comparare deinceps debuit.

Præter has pœnas, quæ singulis primis parentibus fuerunt peculiares, aliæ quoque ambobus communes fuerunt inflictæ. Quæ scilicet beneficia Deus in statu innocentiæ contra, ut sic dicam, naturæ exigentiam illis fuerat impertitus, ab illis sunt ablata. Cum igitur fuissent, ut dixi, creati immortales, immunes a concupiscentia, & cum subjectione partis inferioris ad superiorem, statim post peccatum evaserunt mortales, persenserunt motus etiam involuntarios concupiscentiæ, & partis inferioris rebellionem contra superiorem.

Ejecti insuper fuerunt a Paradiso voluptatis absque spe illuc remeandi. Quanto tempore ibi steterint incertum. Brevem fuisse hanc moram ex eo colligitur, quod juxta communem Patrum virgines e Paradiso discesserunt, quod non contigisset, si longo tempore ibi permansissent, tum ob mutuum amorem, tum ob dominicum præceptum: *Crescite, & multiplicamini.*

AR-

(a) *Gen. 3.*

ARTICULUS QUINTUS.

Certum est Adamum & Evam pœnitentiam egisse de admisso peccato, & veniam consecutos; dicit enim Scriptura: (a) *Hæc* (Sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*. Accedit traditio Patrum, qui unanimiter docent hoc, & præterea docent illos salutem æternam fuisse consecutos: unde etiam notante Cl. Berti in Litaniis, quibus Romæ utitur Clerus S. Mariæ Majoris, legitur: *Sancte Adam ora pro nobis*. Unde merito ab omnibus rejicitur sententia Tatiani, qui inter alia erronea docuit quoque Adamum & Evam fuisse æterno damnatos. Non est autem dubium illos veniam & salutem fuisse consecutos ex futuris meritis Christi.

CAPUT SECUNDUM.

De propagatione peccati Adami, seu de existentia & propagatione peccati Originalis.

NOtabo 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. probabo propagari in posteros Adami peccatum ipsius, seu existere & propagari peccatum originale: 3. examinabo quomodo illud propagetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. magnam & olim fuisse, & etiam modo esse Catholicos inter & plures Hæreticos controversiam, utrum Adamus peccando sibi soli nocue-

---

(a) *Sap.* 10.

cuerit, an etiam aliis, & si aliis quomodo nocuerit. Ipsum sibi soli nocuisse docuit 2. sæculo Carpocrates, deinde 4. Ruffinus. Sed clarius omnibus id docuit Pelagius, quem secuti sunt Julianus, Cœlestius, aliique plures S. Augustino coævi, & ab ipso doctissimis scriptis exagitati. Errorem hunc 7. seculo secuti sunt Armeni, 8. Albanenses, 13. Albigenses, 16. Zuingliani, Sociniani, & alii, quorum tamen aliqui omnes peccato Adami infici arbitrati sunt, præter filios Fidelium. Docuit igitur Pelagius ex peccato Adami non infici ipsius posteros, nisi ad summum quatenus illum peccantem ex propria malitia imitantur. Consequenter docuit mala, quibus premitur humana natura, non esse pœnam peccati Adami, sed solum conditiones ejusdem naturæ intrinsecas, ac Baptismum esse quidem parvulis necessarium, ut regnum cœlorum consequantur, sed non ut a peccato mundentur, cum peccatum non habeant.

Noto 2. Ecclesiam Catholicam semper docuisse, Adamo peccante omnes homines, ex illo descendentes per carnalem generationem effectos fuisse peccatores, adeoque in generatione contrahere peccatum, quod, quia fuit aliena voluntate patratum, nempe voluntate Adami, & origine ex illo contrahitur, dicitur *Originale*. Cohærenter ad hæc docet miserias, quibus humana natura in hoc mundo vexatur esse pœnas ejusdem peccati, & Baptismum esse necessarium omnibus, nedum ut regnum cœlorum adipiscantur, sed etiam ut mundentur & cessent esse peccatores.

Noto 3. præceptum de pomo non comedendo fuisse quidem datum Adamo & Evæ, sed soli Adamo fuisse datum ut capiti generis humani, seu ut continenti virtualiter in sua voluntate voluntates posterorum; ut enim inquit S. Augustinus: (a) *Omnes ille unus homo fuerunt*. Hinc si Eva pec-

(a) *Lib.* 1. *de pecc. merit. cap.* 10.

peccasset, & non Adam, originale non contraxiſsent ipsius posteri, secus si peccasset Adamus, & non Eva. Nec pariter hoc contaxiſsent posteri Adæ, si ipso non peccante unus E. G. ex filiis ipsius, a quo postea omnes alii posteri descenderunt, peccasset; hic enim sibi soli nocuisset, non vero posteris, cum non fuisset trangressus præceptum sibi impositum ut capiti posterorum. Ratio horum est, quia solus Adam dicitur in Scripturis constitutus quoad hoc caput humani generis. Hoc idem dicendum, si Adam post acceptos filios peccasset; hi enim & eorum descendentes non fuissent infecti culpa Adami, cum hi filii utpote habentes propriam voluntatem physice existentem, & illorum descendentes utpote veluti avulsi a voluntate Adami per intermediam voluntatem suorum parentum ab Adamo jam actualiter genitorum, non potuissent amplius dici contenti in voluntate Adami peccantis, adeoque geniti ab Adamo peccatore. Quod si Adamus peccasset & non Eva, neque hæc fuisset ex illius peccato infecta, cum ipsa utpote & propria jam voluntate donata, & non descendens ex Adamo per carnalem generationem non esset inclusa in voluntate illius.

Noto 4. hic de existentia & propagatione peccati originalis ex professo agendum, qua probata iis etiam spectatis, quæ supra sunt dicta, alia quoque sententiæ Catholicæ consectaria probata remanebunt.

Noto 5. ab hominum massa, quam infra probabo vitiatam per peccatum Adæ excludi tum Christum, tum Deiparam; Christum quidem, nam hic licet ex Adamo descendens non descendebat tamen per carnalem generationem; Deiparam autem, nam hæc fuit, ut infra ostendetur, a generali lege ex privilegio exempta. His notatis sit

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Propter peccatum Adæ, qui ab illo descendunt per carnalem generationem, contrahunt odibilitatem seu inimicitiam Dei, quæ appellatur peccatum originale.* Est de fide.

Prob. ex Scriptura, I. & ex veteri Testamento, Inquit David (a): *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea* quo posito subjungit Augustinus (b): *Nunquid David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo & conjuge ipsius. Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Nec refert quod in plurali loquatur David *in iniquitatibus, in peccatis &c.*; nam, ut explicat D. Augustinus, (c) & etiam supra dictum est, in peccato Adami plures species peccatorum continentur; & præterea in Hebraico legitur in singulari: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea*, & ita etiam in versione Chaldaica, Syriaca, & Arabica, & S. Hieronymus ita vertit: *In iniquitate conceptus sum, & in peccato peperit me mater mea*.

Prob. rursus ex Scriptura novi Testamenti. Apostolus inquit (d): *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex Apostolo igitur omnes peccaverunt in illo homine, per quem mors intravit in mundum, scilicet in Adamo. Quid est autem omnes peccasse in Adamo, nisi omnes ex peccato illius inimicitiam Dei contraxisse?

Re-

(a) *Psalm.* 50. (b) *In Psalm.* 50.
(c) *Ench. cap.* 46. (d) *Rom.* 5.

Reponunt adversarii omnes in Adamo peccasse hoc sensu, quod peccatum Adami fuit causa mortis omnium hominum, vel propensionis illorum ad peccandum, vel hoc sensu, quod omnes homines propria actione imitati sunt Adamum peccantem, vel tandem illud *in quo* idem denotare, ac *quatenus* vel *quia*. Sed contra.

Si illud *peccaverunt* accipiatur pro pœna peccati, sicque vel pro morte, vel pro pronitate ad peccandum, accipitur improprie, & quidem absque ulla necessitate contra regulam, quam semper adhibuit Ecclesia sumendi Scripturam proprie, nisi aliquid obstet. Præterquamquod, si de morte fiat sermo, hæc non videtur posse venire per illud *peccaverunt*; illud enim hic sumitur in eodem sensu, ac supra sumatur, dum dicitur: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. At tunc peccatum sumitur ut aliquid distinctum a morte; dicitur enim mortis causa: *& per peccatum mors*. Ergo etiam a pari illud *peccaverunt*.

Rursus illud *in quo omnes peccaverunt* non potest intelligi, ita ut omnes propria actione imitati sint Adamum peccantem; nam innumeri sunt homines, qui incapaces sunt hujus imitationis, ut omnes pueri præmorientes usui rationis.

Tandem illud *in quo* debet intelligi in Adamo; nam ita illud interpretantur Chrysostomus; Theophylactus, Oecumenius, Hilarius, Augustinus, Haimo, aliique a Bellarmino relati, quibus sane magis credendum est, quam Juliano, qui illud *in quo* interpretabatur pro *quatenus* vel *quia*, aut Erasmo, qui novissime hanc interpretationem recoxit. Præterea, ut idem Bellarminus notat, etsi illud *in quo* pro *quatenus* vel *quia* interpretaremur, subsisteret assertio; sensus enim apostolicæ sententiæ hic esset: in omnes homines mors pertransit, *quatenus* vel *quia* omnes peccaverunt. At quomodo omnes, in quos mors pertransiit, idest omnes homines, peccaverunt? Non certe actualiter, ut patet. Ergo originaliter, sicque in Adamo.

Rursus idem Apostolus ait (a): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Omnes ergo ex Apostolo mortui sunt (subintellige spiritualiter), si Christus est mortuus pro omnibus. Atqui Christus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt. At quomodo nisi in Adamo?

Prob. assertio ex sensu Ecclesiæ. Pelagio adhuc vivente celebrata fuit Synodus Palestina, in qua ipsius error fuit damnatus. In Concilio Milevitano ita statuitur: (b) *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur .. anathema sit*. Hoc idem statuitur in Carthaginensi anni 418. Hoc idem in Toletano VI. & in XII. & Arausicanum II. hæc habet (c): *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna est peccati, non autem & peccatum, quod est mors animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: per unum hominem* &c. Hæ autem definitiones quamvis Conciliorum particularium, ut tamen acceptatæ ab universa Ecclesia sensum ipsius Ecclesiæ præseferunt. Eodem modo loquuntur RR. Pontifices Innocentius I., Zosimus, Cœlesrinus I., Leo I.: ita etiam Concilium Florentinum, & novissime Tridentinum fere ad verbum repetens, quæ dixerat Arausicanum, sic inquit: (d) *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis*

(a) 2. *Cor*. 5: (b) *Can*. 2. (c) *Can*. 2.
(d) *Sess*. 5. *in decret. de peccat. orig. Can*. 2.

bis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse; non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: per unum hominem &c Ecclesiæ pariter sensus colligitur ex cura, quam semper adhibuit, ut parvulis ministraretur Baptisma, ne decederent immundi, & ex cæremoniis, quibus semper usa est in collatione hujus Sacramenti, puta insufflationibus, exorcismis, aliisque id genus, quibus indicavit se existimare parvulos esse sub potestate Diaboli, sub qua cur tandem sunt, nisi ob originale peccatum?

Aliquas ex Patribus probationes afferam, cum ad objecta ex illis desumpta respondebo.

Ex Scripturis aliqua objiciuntur, quæ generaliter videntur esse contraria originali: aliqua itidem, qua illi videntur contraria saltem relate ad filios Fidelium. Primo priora, mox posteriora afferentur.

Obj. ergo ex Scripturis pro ea parte, qua generaliter videntur esse contrariæ originali. I. dicitur: (a) *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.* Ergo nos non nascimur peccatores propter peccatum Adæ.

II. dicitur: (b) *Sicuti per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Hic notandum, quod non dicitur *omnes*, sed *multi*. Præterea comparatio instituitur inter infectionem hominum ex Adamo, & illorum sanctificationem per Christum. Sicuti ergo non omnes homines per Christum sanctificantur, ita non omnes per Adam redduntur peccatores, adeoque &c.

Hoc

(a) *Ezech.* 18. (b) *Rom.* 5.

Hoc ipsum suadetur ex quo antecedenter dictum erat: *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; nam cum gratia Christi non abundet in omnibus, sed solum in aliquibus, a fortiori in aliquibus tantum abundavit peccatum Adæ.

III. ubi non est lex, non potest esse peccatum; nam Apostolus dicit (a) cognitionem peccati oriri per legem, & infra (b) asserit sine lege peccatum *fuisse mortuum*, idest nullo modo imputatum. At asserit Apostolus (c) se aliquando vixisse sine lege, idest tempore infantiæ. Ergo tunc ipsi nullum imputabatur peccatum. Quod idem cum de omnibus aliis valeat, dicendum nullum hominem in generatione contrahere peccatum Adami. Ergo &c.

℟. ad I. filium in casu portare iniquitatem patris, quæ tamen aliquo modo est etiam sua, cum voluntas filiorum omnium fuerit in voluntate Adami inclusa. Et sane si anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, & filius non portat iniquitatem patris, jam ille idem, qui pœnas subit, peccavit. Cum ergo omnes homines pœnam subeant peccati Adami, omnes homines participes dicendi sunt ejusdem peccati.

Ad II. ℟. illos *multos* esse omnes, ut patet ex antecedentibus, ubi dicitur: *In quo omnes peccaverunt*: &: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Et sane illos, qui multi dicuntur, posse esse omnes, patet ex quo de facto, qui inficiuntur originali, sunt multi, idest non pauci; possunt enim aliqua esse multa, quæ non sint omnia, aliqua esse omnia, quæ non sint multa, aliqua esse

(a) *Rom.* 3. (b) *Rom.* 7.
(c) *Ibid.*

esse & multa & omnia, aliqua nec multa nec omnia. Sunt multi homines, qui damnantur, sed non sunt omnes: sunt omnia Evangelia quatuor illa vulgata Matthæi &c., sed non sunt multa: sunt multi homines mortales, & sunt omnes: duo Evangelia nec sunt multa, nec omnia Evangelia. Qui ergo originali maculantur sunt & multi & omnes. Addi etiam posset Apostolum dixisse *multos*, non *omnes*, quia de facto non omnes rigorose, sed tantum moraliter peccato Adami sunt maculati; nam Christus, Deipara & Eva homines erant, nec tamen Adami peccato fuerunt infecti. Stat autem comparatio inter Adamum & Christum per hoc, quod sicuti ex Adamo omnes posteri sunt inquinati, ita ex Christo omnes quoad sufficientiam sunt justificati. Quod si non omnes in Christo etiam efficaciter justificantur, sicuti omnes efficaciter per Adamum inquinantur, nil mirum; nam peccatum Adami præcise contrahitur per hoc, quod quis ab eo carnaliter descendat, justitia autem Christi non contrahitur nisi positis quibusdam actibus vel propriis, vel alienis, qui aliquando & quidem culpabiliter omittuntur. Nec officit, quod dicitur in plures abundasse gratiam Christi; nam hoc non indicat plures esse, qui justificantur per Christum, quam qui per Adamum inficiuntur, sed significat ubertatem & copiam donorum, quæ per Christum acquirunt justificati; Adam enim omnes quidem homines reos effecit, sed unius tantum peccati, Christus vero nedum ab uno peccato, sed a plurimis, imo ab omnibus liberat, sed etiam & gloriam uberrimam iis, qui in ipso justificantur, impertitur. Quod expressit idem Apostolus inquiens (a): *Non sicut per unum peccatum, ita & donum; nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex mul-*

(a) *v. sequent.*

multis delictis in justificationem. Adde quod textus Græcus tollit omnem ambiguitatem; nam loco *plures* habet *multos*. Ergo &c.

Ad III. R. non posse utique haberi peccatum actuale, nisi actualiter existente & cognita lege; at peccatum habituale potest haberi, etsi lex amplius non existat aut cognoscatur. Originale porro in descendentibus ab Adam non est actuale, sed habituale. Non ergo requirit existentiam aut cognitionem actualem legis, & consequenter, etsi tempore infantiæ nec existat nec cognoscatur, potest anima infantis esse maculata originali, quod solum supponit existentiam & cognitionem legis pro tempore, quo erat actuale, idest in Adamo peccante, cujus voluntati omnium erant alligatæ voluntates posterorum. Tempore autem Adami & aderat lex (prohibitio scilicet pomi) & cognoscebatur, (ab Adamo quidem physice, a posteris autem moraliter) quatenus actio Adami moraliter censebatur actio posterorum juxta inferius explicanda. Ergo, &c.

Obj. ex Scripturis pro ea parte, qua videntur esse contrariæ originali relate ad filios fidelium. I. Apostolus ait: (a) *Si delibatio sancta est, & massa, & si radix sancta, & rami*. Hic per *delibationem & radicem* intelligit Apostolus patres, per *massam* autem & *ramos* intelligit filios: dicit autem ex delibatione & radice sancta oriri massam & ramos sanctos. Ergo ex fidelibus, qui sunt patres sancti, non nascuntur filii originali maculati.

II. Idem Apostolus alibi expresse asserit filios Fidelium esse sanctos, dum inquit: (b) *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*.

(a) *Rom.* 11. (b) 1. *Cor.* 7.

III. Christiani deputantur in semen Abrahæ, idest considerantur ut filii Abrahæ. Ergo filii Christianorum & ipsi sunt filii Abrahæ, (a) cum sint filii filiorum Abrahæ. At Deus pollicitus est se futurum Deum tum Abraham, tum seminis ejus, idest peculiariter dilecturum tum Abraham, tum ejus filios. Ergo peculiariter diligit tum Christianos, tum eorum filios. Hæc omnia probant originali non infici filios fidelium. Ergo &c.

℟. Ad I. Apostolum hortari Gentiles ad Christum conversos, ne spernant Judæos nondum conversos; licet enim nondum conversi, poterant tamen converti: quod probat exemplo priorum Discipulorum Christi, qui erant Judæi, & quos *delibationem* vocat, & veterum Patriarcharum, qui fuerunt veluti ejusdem populi *radix*, quasi dicat: si fuerunt sancti & Discipuli Domini & patres Israelitarum, qui sunt delibatio & radix, poterunt etiam esse sancti alii Israelitæ, qui sunt massa & rami. Ex hoc autem ad summum infertur posse filios fidelium esse sanctos, non autem tales esse semper & de facto, adeoque semper esse sine originali. Cæterum si argumentum probaret adversariorum intentum, probaret etiam Judæos incredulos utpote filios sanctorum patriarcharum fuisse ab originali immunes, quod nec per ipsos admittitur. Ergo &c.

Ad II. ℟. Apostolum hortari conjugem fidelem, ne dimittat infidelem consentientem habitare cum illo; idque tum ob bonum conjugis infidelis, qui alterius ope potest ad fidem converti, tum ob bonum prolis, quæ, si fiat separatio, duplici periculo exponitur, nimirum ut illegitima existimetur, & ut vel, postquam est baptizata, pervertatur, vel nunquam perducatur ad Baptismum. *Sancti* ergo dicuntur filii, vel quatenus sunt mun-

(a) *Gal.* 3.

mundi, idest existimantur legitimi, vel quatenus jam baptizati sunt, vel quatenus manente conjunctione parentum facile possunt sanctificari. Ergo &c.

Ad III. ℟. Filios mysticos Abrahæ esse credentes. Id docet Apostolus (a): *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Ut autem fides patrum non transit in filios per generationem, sic nec transit filiatio Abrahæ, quæ solum transit mediante Baptismo. Ergo &c.

Objectiones ex Patribus allaturus primo agam speciatim de Chrysostomo, quem maxime adversarii pro se jactant, mox de aliis.

Obj. igitur ex Chrysostomo. I. hic inquit (b): *Hac de causa etiam infantulos baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra fiant.*

II. S. Doctor proposito testimonio Apostoli: *Sicut per unius hominis inobedientiam homines multi peccatores effecti sunt, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi* subjungit: (c): *Ac videtur quidem dictum illud non parvam inferre quæstionem. Si quis vero studiose attenderit, illa facile solvetur. Quænam igitur illa quæstio est? nempe dicere per inobedientiam unius multos effeci peccatores. Quod enim illo peccante & mortali facto, qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id a verisimili non abhorret: quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Invenietur quippe ille non pœnas debere, nisi ex se peccator fuerit. Quid igitur hic significat illud peccatores? mihi quidem videtur supplicio obnoxios, & ad mortem damnatos.* Ipse etiam infra docet nos a morte & condemnatione Adami nihil detrimenti cœpisse, sed po-

(a) *Gal.* 3. (b) *Homil. ad Neophyt.*
(c) *Homil.* 10. *n.* 2. & 5. *in Ep. ad Rom.*

tius lucrum. *Si quis vestrum*, inquit, *quærat hoc dicemus nos a morte hujusmodi ac condemnatione non modo nihil læsos fuisse, si advigilemus, sed etiam lucratos esse.*

III. Alibi: (a): *Corruptibile nobis corpus est, sed incorruptibilis anima. Ne igitur & ipsam corrumpamus. Hoc* (idest corporis corruptionem) *illud primum hominis peccatum fecit, quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere potest.*

IV. Rursus: (b): *Quid igitur faciam, inquis, propter illumne* (videlicet Adamum) *peream? Minime propter illum; neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.*

V. Tandem: (c): *Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noe vir justus sæculo suo fuit? Quomodo Abraham? . . Itaque si hoc de corpore dictum esse velimus, constabit oratio, si autem de justitia & peccato, nequaquam.* Ergo &c.

Ad I. multipliciter ℟., & primo S. Augustinus ita locum legit (d): *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*, idest propria & personalia. Si autem quæratur, cur Chrysostomus non addiderit *propria*, respondet S. Augustinus: *Cur putamus? nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur? Vobis* (Pelagianis) *nondum litigantibus securius loquebatur*. ℟. Secundo in aliquibus versionibus, ut Basileensi anni 1530., & Parisiensi anni 1556. ita legi: *Hac de causa infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato*. Et profecto si ita legi debet, sublata est difficultas. Ita autem esse legendum tuto non assererem ob auctoritatem S. Au-

(a) *Homil.* 24. *n.* 5. *in Ep. ad Ephes.*
(b) *Homil.* 17. *in* 1. *ad Cor. n.* 3.
(c) *Homil.* 39. *n.* 3. *in eand.*
(d) *Lib.* 1. *contr. Jul. cap.* 6.

Augustini, qui probabiliter emendatos codices Chrysostomi habuit. Cæterum id videtur satis verisimile; cum enim quidam unicum tantum Baptismi effectum agnoscerent, videlicet remissionem peccatorum, Chrysostomus decem effectus enumerat & demonstrat singulos in parvulis baptizatis locum habere, tum subdit: *Vides quot sunt Baptismi largitates: multis quidem videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem: hac de causa etiam infantulos baptizamus &c.* Hoc posito patet S. Doctorem non negare, quod sit effectus Baptismi peccatorum remissio, sed tantum quod sit unicus effectus. Nec moveant illa verba *ut addatur gratia*, quæ videntur supponere infantes ante Baptismum esse in gratia, nam hæc non debent accipi in sensu additionis rigoroso, alias dicendum pueros ante Baptismum nedum esse immunes a peccato, sed etiam esse in gratia constitutos, quod nec Pelagiani admittunt. Præterquamquod hæc additio gratiæ potest intelligi non de additione ad gratiam antecedentem, sed ad remissionem peccatorum: quatenus scilicet asseratur nedum per Baptismum remitti peccata, sed etiam gratiam infundi.

Ad II. ℟. Advertendo Chrysostomum prioribus verbis non propriam sententiam, sed objectionem Judæorum ab Apostolo confutatam proponere: cum enim probasset Paulus contra Judæos Christi justitiam in omnes derivari exemplo Adami, cujus delicto omnes effecti sunt mortales & peccatores, Chrysostomus ait posse gravem moveri quæstionem circa hoc ipsum: *Quomodo per inobedientiam unius multi efficiantur peccatores?* hoc enim rationi videtur repugnare: tum respondet per illud *peccatores* Apostolum intellexisse *supplicio obnoxios, & ad mortem damnatos*, non quatenus negaverit inobedientia Adami multos effici vere peccatores, sed quatenus, cum notius esset & evidentius nos ex Adamo fieri mortales, quam vere peccatores, cumque hoc postremum alibi sufficienter probasset, & tandem cum illud prius sufficeret ad

probandum intentum suum (ut enim stat quod in omnes sit derivata mortalitas ex Adamo, ita potest stare in omnes derivari justitiam per Christum); Apostolus potius *mortales*, quam revera *infectos peccato* intellexit per illud *peccatores*, nec de vero peccato inutilem, inquit Chrysostomus, voluit movere quæstionem: & hinc subjungit S. Doctor: *Quod quaritur autem est, cur ita factum sit, sed nondum illud adjicit, neque enim id ad rem præsentem pertinet. Nam contra Judaum decertatur; qui dubitat ac deridet illam per unum hominem justitiam. Ideo postquam ostendit supplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum sit, non addit, neque enim superflue loquitur, sed circa necessaria tantum instat Hoc enim non magis illum, quam Judæum dicere cogebat certaminum lex, quapropter rem insolutam reliquit*. Quod si dicit nos a morte & condemnatione per Adamum contracta nihil læsos, sed potius lucratos esse, vel hoc intelligit quatenus redemptio Christi damna illata ab Adamo abunde reparavit (quo sensu canit Ecclesia. *O felix culpæ, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*) vel quatenus ex consideratione mortalitatis, licet hæc sit pœna peccati, possumus plura bona lucrari, ut esset abstinere ab actualibus, spernere temporalia, amare cœlestia &c.

Ad III. ℟. Chrysostomum non negare, quod originale & ipsum corrumpat animam, sed cum ad baptizatos loqueretur, quibus illud jam fuerat dimissum, dicit ab illo corrumpi corpus, quia post Baptismum non amplius animam, quæ jam vivificata est, & potest in æternum vivificata remanere, sed solum corpus corrumpit, cum actualia post Baptismum commissa possint denuo & ipsam animam corrumpere.

Ad IV. ℟. Chrysostomum asserere baptizatos, ad quos loquebatur, non perire ob peccatum Adami, quod jam illis fuerat dimissum, sed ob peccata propria; quamvis enim fortasse idem peccatum, idest peccatum ejusdem speciei, ac peccatum Adæ non commiserint, alia tamen commiserunt.

Ad

Ad V. R. Chrysostomum negare omnes mortuos esse in Adamo morte irreparabili, quæ si talis esset, nulli fuissent justi. Et sane cum ibidem dicit non omnes in Christo vivificari, id intelligit de vivificatione sempiterna; nam id probat ex quo multi in gehennam sunt adducendi. Ergo a pari cum negat omnes mortuos esse in Adamo, id negat de morte animæ sempiterna & irreparabili. Dicit ergo mortem irreparabilem, quæ ex Adamo provenit, fuisse tantum corporalem.

Hic autem ad pleniorem mentis Chrysostomi intelligentiam, noto 1. quæ ex ipso contra nos afferuntur desumpta esse ex homiliis, in quibus, cum oratorio more loqueretur ad populum, non tam strictim &, ut sic dicam, præcisim loquebatur, ac loquitur qui ex professo quæstionem aliquam theologicam tractat.

Noto 2. multa asseri a Chrysostomo, quæ favent dogmati de peccato originali. Duo loca hic afferre sufficiat: primus est: (a) *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos genus auximus posterioribus peccatis*. Quodnam est chirographum quod sit nostrum & tamen scriptum sit ab Adamo, nisi originale? A quo, nisi ab originali, repetitur initium debiti, quod nos auximus posterioribus peccatis? Alter est: (b): *Quod Christo fuit crux & sepulchrum, hoc nobis Baptisma fuit, etsi non iisdem in rebus. Ipse namque carne mortuus ac sepultus est, nos autem peccato utrumque. Quapropter non dixit: complantati cum morte, sed cum similitudine mortis; mors enim est & hoc & illud, sed non ejusdem subjecti: mors enim carnis Christi est, mors pec-*

(a) *Homil. ad Neophytos*.
(b) *Homil.* 10. *in ep. ad Rom. n.* 4.

peccati nostra. Hic S. Doctor asserit per Baptismum in nobis mori peccatum: at quodnam peccatum? Scilicet originale; nullum enim aliud est peccatum nisi originale, quod generaliter per Baptismum in omnibus moriatur. Chrysostomus autem de omnibus loquitur: Ergo &c.

Obj. ex aliis Patribus. I. Clemens Alexandrinus ait: (a) *Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem non solum eam, quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus. Et quando dixit David: in peccatis conceptus, & in iniquitatibus concepit me mater mea, dicit prophetice quidem matrem Evam, sed Eva fuit mater viventium, etsi in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum.*

II. Tertullianus, ut probet differendum esse parvulis Baptismum, hæc habet: (b): *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant Christiani, dum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

III. S. Gregorius Nyssenus (c) docet Infantes omnis malitiæ experres esse.

IV. S. Optatus Milevitanus ait: (d) *Anima, quæ peccat, sola punietur. Quæ res jam & antiquis sæculis in ipsis natalibus mundi comprobata est; nam non pertinuit ad Seth filium Adæ patris admissum*

V. Theodoretus inquit: (e): *Non enim, ut amentes putant Messaliani, novaculam imitatur Ba-*

(a) *Lib.* 3. *Strom.* (b) *Lib. de Bapt. cap.* 18.
(c) Orat. *de Infant præmature raptis.*
(d) *Lib.* 7. *contr. Parmenian.* (e) *Lib.* 5. *heret. fabul. seu Epitom. divin. Decret. cap.* 18. *quod est de Baptis.*

Baptismus praecedentia auferens peccata, hoc enim ex superabundanti largitur; si enim hoc solum opus erat Baptismatis, quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? Ergo &c.

Ad I. varii varia. Bellarminus dicit verba adducta proferri a Clemente in persona Encratitarum; sed contextus ostendit ea ab ipso proferri in propria persona. Vossius ait Clementem non satis agnovisse originalis naturam. Parum ab hoc distat Simonet existimans vix Clementem excusari posse. Sed his missis ipse cum P. Berti respondeo Clementem scribere contra Tatianum, qui in hæresim Valentini, Saturnini & Marcionis prolapsus teste S. Irenæo (a) asserebat malas esse nuptias & seminarium ac fomentum libidinum, quorum usu anima in uno corpore fornicata transiret ad aliud corpus continuis sordibus inquinanda. Cum ergo dicit Clemens: *ubi fornicatus est infans?* hoc non refert ad peccatum originale, sed ad actualia commissa juxta errorem Tatiani: cum dicit verba Davidis referenda esse ad Evam, hoc dicit, quia peccatum, de quo ipse David, non est referendum ad matrem suam immediatam, quasi hæc per nuptias peccaverit: sed ad Evam, quæ peccato suo induxit originale: tandem cum dicit Davidem non fuisse conceptum in peccato &c., id dicit ad exclusionem peccatorum antecedentium conceptionem in sensu Tatiani. Cæterum Clemens alibi apertissime originalis existentiam professus est; loquens enim de Baptismo, qui infantibus semper in Ecclesia datus est, inquit: (b): *Multis modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus,*

(a) *Lib.* I. *contr. hæreses cap.* 30. *ol.* 34.
(b) *Lib.* I. *Pedag. cap.* 6.

gratia autem, qua remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Si ergo Clemens docet etiam infantibus per Baptismum peccata abstergi, in eis etiam peccatum agnoscit, quod aliud non potest esse nisi originale.

Ad II. ℟. Tertullianum appellare *innocentem* ætatem infantium, quia actualis peccati expers est. Cæterum originale etiam in infantibus agnoscere patet ex iis, quæ subdit: *Ad remissionem peccatorum*: & ex iis, quæ alibi habet (a): *Omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tandiu immunda, quandiu recenseatur, peccatrix autem, quia immunda*. Obiter autem adverto sententiam Tertulliani de dilatione Baptismatis in Concilio quodam Africano, cui præerat S. Cyprianus, reprobatam esse, & definitum a Baptismo neminem prohibendum, ne infantes quidem, (b) *Qui recens nati nihil peccavere, nisi quod secundum Adam carnaliter nati contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxerunt*.

Ad III. ℟. Nyssenum loqui de infantibus baptizatis. Et sane ipsum contra originale non stare patet ex eo, quod ait, (c) in peccatum humanam naturam esse lapsam ob Adæ prævaricationem.

Ad IV. ℟. primo dubium esse, an ille liber sit Optati, quem S. Hieronymus dicit nonnisi 6. libros contra Donatistas scripsisse. Sed omisso quod sit ℟. secundo ipsum loqui de peccatis actualibus (cum verba faciat de Traditoribus), quæ ab uno admissa dicit non facere alios actualiter peccatores.

Ad V. ℟. Theodoretum ibi agere contra Messalianos docentes Baptismum esse instar novaculæ, quæ

(a) *Lib. de Anim. cap.* 10.
(b) *Ep. Cyprian. ad Fidum.*
(c) *Lib. de vita Moys.*

quæ pilos tantum extrinſece radit, illorum vero radices non tollit: ſic dicebant ipſi, Baptiſmus ſolum delet actualia, originale vero non delet, quod deletur ſolum per orationem. Recte igitur Theodoretus aſſerit fruſtra hoc poſito baptizari infantes, qui actualia non habent (hoc enim indicatur per illa *peccatum non guſtaverunt*). Theodoretum autem ſtare pro originali conſtat ex quo ait: (a): *Superat benignitatis munificentia juſtitiam: juſtitiæ namque decretum, cum unus peccaſſet, univerſum genus morti tradidit, divina autem miſericordia, cum omnes homines eſſent ſub maledicto, & peccati laqueis eſſent irretiti, per unius juſtitiam dedit omnibus ſalutem.*

Ob. ex ratione I. Non apparet quomodo peccatum Adæ poſſit reddere culpabiles deſcendentes ab illo; ipſis enim, cum illud Adam admiſit, nec erat cognitum, nec voluntarium, nec liberum, cum tunc non eſſent, neque proinde liberum ipſis eſſet includi vel non includi in illius voluntate.

II. Non apparet quomodo illud peccatum poſſit propagari; nam, ut ajebat Julianus apud Auguſtinum: (b) *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat iſte, qui condidit: per quas rimas inter tot præſidia innocentia peccatum fingis ingreſſum?*

III. Admiſſo originali multa ſequuntur abſurda: & primo malas eſſe nuptias, utpote quæ concurrunt ad producendos homines peccatores, adeoque ad continuandum, ut ſic dicam, peccatum Adami: ſecundo melioris fuiſſe conditionis Diabolum, qui non fuit damnatus niſi ob actuale, ac ſint homines, qui ob peccatum non actuale damnantur: tertio homines reddi culpabiles ob

(a) *Epit. Divin. Decret. ſeu hæret. fabul. cap.* II. *quod eſt de Servatoris diſpenſatione.*
(b) *Lib. 2. de nup. & conc. cap. 28*

malum naturale; redduntur enim culpabiles ob originale, quod, cum generatione contrahatur, debet dici malum naturale. Ergo &c.

℟. Ad I. inclusionem voluntatum posterorum in voluntate Adami non fuisse physicam, cum hæ voluntates physice non existerent, sed tantum moralem in hoc consistentem, quod censeretur factum ab aliis, quod ipse fecisset. Hanc autem inclusionem quis dicat non potuisse fieri a Deo supremo rerum omnium domino, quando constat Legislatores humanos includere voluntates pupillorum & minorum in voluntate tutorum & curatorum, ita ut quod hi faciunt, tanquam ab illis factum censendum sit? Potuit ergo Deus ita voluntates posterorum in Adami voluntate includere: constat ex visis ita illas inclusisse, quamvis hujus rei ratio alia non possit adduci, nisi illud Apostoli: (a) *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus?* Et si hoc, patet quomodo originale possit dici cuique voluntarium & liberum, scilicet non physice, sed moraliter, & non in voluntate propria, sed in voluntate illius, qui a Deo fuit constitutus caput humani generis.

Ad II. ita respondebat S. Augustinus: (b): *Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem ait Apostolus, per unius delictum ait Apostolus, per unius hominis inobedientiam ait Apostolus. Quid quærit apertius, quid quærit enucleatius?* Peccavit igitur Adam, & en rimula seu potius janua, per quam ingressum est in mundum & propagatum peccatum. At inquies: Adamus egit pœnitentiam, & postquam mundatus est, genuit filios. Fateor: at peccatum solum delevit quoad se, non quoad posteros; cum enim egit pœnitentiam, non amplius

---

(a) *Rom.* 11. (b) *Loc. adduct.*

plius sustinebat personam capitis, ut antea sustinuerat. Et hinc licet Adamus jam in gratia restitutus gigneret filios, illi tamen originale contrahebant; nam eos non generabat secundum quod erat justificatus, idest secundum gratiam, sed secundum quod erat culpabilis, idest secundum carnem. Qua in re audiatur Augustinus ita respondens Pelagianis asserentibus non posse parvulos nasci infectos peccato, quando parentes, cum illos generant, sunt in gratia: (a): *Vos, qui asseritis de hominibus a peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non attenditis eo modo vobis posse dici de christianis parentibus christianos nasci filios debuisse? . . . . Quid respondebitis? Quare de christianis christianus non nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio christianum? Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter a peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur.*

Ad III. ℟. nullum ex adductis absurdis sequi ex assertione. Non primum; nam nuptiæ per se non trahunt peccatum, sed solum per accidens, & ex alia parte hæ sunt per se ordinatæ ad naturæ bonum, nimirum ad propagationem speciei. Non secundum; nam inæqualitas adducta inter Diabolum & homines ex una parte compensatur per hoc, quod homines utilitatem potuissent consequi ex aliena actione, nimirum ex obedientia Adami, quam utilitatem ex aliena actione Diabolus consequi non potuisset, & ex alia hominibus fuit destinatus reparator, secus Dæmonibus. Non tertium; nam originale est utique homini naturale hoc sensu, quod præsupposito peccato Adami sequatur naturam ab eo per naturalem generationem derivatam, sed non hoc sensu, quod sit essentia aut proprietas naturæ. Cum autem præ-

---

(a) *Lib. 2. de peccat. merit. cap. 9.*

præsuppoſitio illa, ex qua originale ſequitur, fuerit cuique in Adamo libera, hinc quisque ex originali evadit culpabilis: *Nec tamen*, ut inquit Augustinus, (a) *perfectio eſt deſperanda virtutis per ejus gratiam, qui ex origine vitiatam mutare poteſt & ſanare naturam.*

ARTICULUS TERTIUS.

Quamquam in ſuperioribus aliqua obiter dicta ſint circa modum propagationis peccati originalis, juvat tamen omnia ad modum hujus propagationis ſpectantia hic ſub unico aſpectu ponere, ut magis & catholica veritas comprobetur, & quæ de originalis exiſtentia dicta ſunt & infra de illius natura dicentur, intelligantur.

Quæſtio circa modum, quo originale propagatur, difficilis vel ipſi Auguſtino viſa eſt. Scribens ipſe ad S. Hieronymum affert exemplum illius, qui in puteum lapſus interrogatur quomodo illuc ceciderit, ipſumque inducit ſic reſpondentem: (b): *Obſecro cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras.*

Dubitavit olim idem Auguſtinus, ne originale propagaretur per hoc, quod animæ poſterorum ex anima adami traducerentur, ut ſupra etiam innui. Hinc quærenti Juliano, quomodo pueri contraherent originale, reſpondit: (c): *Aut utrumque* (ſcilicet anima & corpus) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vaſe corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum, libentius diſco, quam dico, ne audeam docere quod neſcio.* Sed cum nunc certum ſit animas ex animabus non produci, hinc ad primum mo-

(a) *Lib. 2. cont. Jul. cap.* 1.
(b) *Ep.* 167. *ol.* 29.
(c) *Lib. 5. contr. Jul. cap.* 4

modum ab Augustino assignatum confugere non possumus. Confugiendum ergo ad alium, qui tamen ut explicetur, hæc sunt notanda.

Primo ex dictis, ut quis contrahat originale, requiritur ut fuerit inclusus in voluntate Adami peccantis: secundo non fuerunt inclusi in tali voluntate nisi qui carnaliter erant descensuri ab illo, quique virtualiter in Adamo continebantur per hoc quod, continerentur in illius semine, per quod naturaliter erant existentiam habituri.

His positis explicari potest propagatio peccati originalis dicendo, Deum moraliter inclusisse in voluntate Adami voluntates omnium illorum, qui in semine ejus modo dicto continebantur. Ex hoc sequitur omnes animas, quæ debebant aliquando informare corpora ab Adamo per naturalem generationem descensura, in ipso peccasse. Fac ergo ut generatis corporibus a Deo creetur anima illa informatura, en quod hæc ex illis est, quæ in Adamo peccaverunt, & proinde statim incipit peccato Adæ inquinari: sicuti E. G. quia voluntas pupilli moraliter continetur in voluntate tutoris, hoc ineunte aliquo contractu illum etiam virtualiter init pupillus, unde cum istius voluntas incipit esse moraliter separata a voluntate tutoris, quod contingit cum eximitur a tutela, incipit contractu obligari, perinde ac si contraxisset propria voluntate. Ergo &c.

Hac explicatione admissa salvantur omnia dicta Patrum de originalis propagatione loquentium. Dicunt enim illud propagari *generatione*, quod in hac explicatione verificatur; nam generatio est causa, cur propagentur corpora in semine Adæ contenta, quibus animæ destinatæ inclusæ erant in voluntate Adami: qua eadem ratione verificatur quod dicunt, illud propagari *per vitiatum semen Adæ*. Dicunt pariter illud propagari per hoc, quod *anima uniatur corpori maculato*, quod utique hac explicatione admissa subsistit; nam ideo anima maculatur, quia est destinata ad informandum corpus in maculato semine Adami contentum. Dicunt illud propagari

per

per *libidinem & concupiscentiam*, quod & ipsum juxta hanc explicationem verificatur, cum libido & concupiscentia inducat ad generationem, qua modo supradicto propagatur originale. Dicunt tandem illud propagari *natura*, quod & ipsum subsistit posita illa explicatione; nam accipiendo naturam humanam accipit homo corpus, quod modo jam dicto continebatur in Adam, cum peccavit.

CAPUT TERTIUM.

In quonam sita sit quidditas seu essentia peccati originalis.

Afferam hic 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis, 2. examinabo sententiam Illyrici, 3. sententiam Novatorum constituentium originale formaliter in concupiscentia, 4. sententiam illud statuentium in sola privatione justitiæ originalis, 5. sententiam assignantium concupiscentiam tamquam originalis materiale, formale vero statuentium in privatione justitiæ originalis, 6. sententiam statuentium originale in peccato Adami moraliter in posteris peseverante.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto I. originale dupliciter posse considerari & quatenus fuit actuale in Adamo, quo sensu ab aliquibus dicitur *originale originans*, & quatenus est habituale in posteris, quo sensu dicitur *originale originatum*. Apud omnes admittentes originale certum est illud, quatenus fuit in Adamo actuale, nihil aliud importasse nisi actum, quem ille elicuit comedendo de pomo vetito, cum totius humani generis personam gestaret. Quæstio ergo reducitur ad originale, quatenus habitualiter permanet in posteris, de hoc scilicet ita spectato quæritur in præsenti in quonam ipsius quidditas & essentia sita sit.

Noto

Noto 2. circa essentiam originalis spectati, ut dixi, multos esse Hæreticorum errores. Primo aliqui teste Gulielmo Parisiensi dixerunt peccatum originale consistere in nimio gaudio, quo anima perfunditur, cum actu unitur corpori; asserebant enim isti animam habere naturalem appetitum unionis cum corpore, adeoque cum ad hanc pervenit, tantum percipere gaudium, ut propterea peccet, & hoc peccatum dicebant esse originale. Secundo Matthias Illyricus docuit peccatum originale esse mutationem substantialem animæ, quæ amissa imagine Dei facta est a Diabolo ad imaginem sui. Tertio communius Novatores docent originale formaliter consistere in concupiscentia.

Noto 3. Catholicos ipsos esse divisos in explicanda natura originalis; primo enim Albertus Pighius & Catharinus docuerunt originale consistere in peccato Adami non quidem in se considerato, sed præcise secundum suos effectus, idest secundum pœnam, quam posteri subire debent. Per hos ergo auctores peccatum originale non est quid intrinsecum hominibus!, sed mera extrinseca denominatio orta a peccato Adami. Secundo Gregorius Ariminensis docuit illud consistere in qualitate quadam animæ superaddita, quam ipse vocavit *morbidam*, seu *morbosam*, & hanc qualitatem derivari dixit in animam ex carne vitiata utpote proveniente ex vitiato semine Adæ, quomodo optimus liquor in vase fœtido inclusus fœtorem ex eo concipit. Tertio docent plures Thomistæ illud adæquate consistere in privatione justitiæ originalis, & hujus sententiæ aliqui auctorem faciunt S. Anselmum. Quarto plures recentiores, quibus videtur favere S. Thomas, docent originale consistere in concupiscentia non nude sumpta, ut volunt Novatores, sed prout adnexam habet justitiæ originalis privationem, ita ut concupiscentia sit veluti materiale, & privatio justitiæ originalis sit veluti formale ejusdem peccati. Quinto alii docent illud consistere in peccato Adami moraliter in posteris perseverante.

No-

Noto 4. me hic non suscipere examinandum primum errorem a Gulielmo Parisiensi relatum; hic enim ex una parte nullo fundamento nititur, ex alia quod hic error statuit pro originali, si daretur, potius esset actuale: nec suscipere examinandam sententiam Pighii & Catharini, utpote quæ manifeste facit peccatum originale homini solum extrinsece imputatum, cum non faciat illum vere & proprie peccatorem, sed solum obnoxium pœnis peccati, ob quod etiam a pluribus erronea hæc sententia putatur, &, ut notat Gotti, in Indice expurgatorio jussa est aboleri ab operibus Catharini: nec suscipere examinandam sententiam Ariminensis; nam vel hæc coincidit cum quarta Catholicorum sententia supra recitata, ut contendit P. Berti, & tunc ex iis, quæ circa hanc dicentur, apparebit quid dicendum circa illam, vel non coincidit, & tunc ex statuendis in futuris assertionibus apparebit inutilem esse qualitatem illam morbidam ad explicandum originale. Examen ergo reducam 1. ad errorem Illyrici, 2. ad errorem statuentium originale formaliter in concupiscentia, 3. ad sententiam statuentium originale in sola privatione justitiæ originalis, 4. ad sententiam statuentium concupiscentiam ut materiale originalis, privationem vero justitiæ originalis ut formale, 5. ad sententiam statuentium originale in peccato Adami moraliter in posteris perseverante. Ad meliorem tamen dictarum sententiarum intelligentiam præstat singulas distinctius explicare.

Noto ergo 5. Illyricum ita sententiam suam exponere. Supponit hominem ad imaginem Dei factum esse, & vult per peccatum Diabolum effecisse, ut substantia animæ mutata sit per hoc, quod amissa imagine Dei facta sit imago Diaboli, quomodo, inquit ipse, una substantia etiam naturali arte in aliam transmutatur, ut cum E. G. ex lacte fit caseus, ex luto fiunt lateres &c. Vult consequenter originale esse quandam mutationem hominis non accidentalem, sed substantialem, & quidem talem, ut ipsum osigina-

le non sit qnalitas quædam in homine residens, sed ipsa substantia animæ humanæ, quatenus modo jam dicto mutata est.

Noto 6. concupiscentiam, in qua, ut dixi, Novatores communius constituunt formaliter originale, non esse concupiscentiam prout importat actualem & voluntarium consensum in motus turpes, sic enim per omnes est actuale non originale peccatum, sed prout importat habitualem inclinationem ad peccatum seu peccati fomitem.

Noto 7. constituentes essentiam originalis in sola privatione justitiæ originalis ita propriam sententiam explicare: Privatio justitiæ originalis inquiunt, potest considerari dupliciter, primo quatenus tollit subjectionem voluntatis humanæ Deo debitam, & conjunctionem per gratiam & charitatem, quam hæc voluntas habere deberet cum Deo: secundo quatenus tollit subjectionem partis inferioris ad superiorem. Originale autem ipsi constituunt in privatione non sumpra secundo modo; hanc enim dicunt esse pœnam, sed sumpta primo modo. Rursus, inquiunt, privatio hæc considerari potest vel *ex parte hominis*, vel *ex parte Dei*. Ex parte Dei importat actionem Dei hominem privantis justitia originali; ex parte hominis importat ejusdem hominis defectum, qui voluntarie caret perfectione, quam habere deberet. Ipsi autem constituunt originale in privatione considerata non ex parte Dei, sed ex parte hominis.

Nolo 8. constituentes concupiscentiam tanquam materiale originalis, privationem vero justitiæ originalis tanquam formale, supponere quod in omni peccato detur materiale & formale, & quidem ita ut (loquendo de habituali) possit remanere materiale, quin formale remaneat, & ita si quis voluntarie habitum peccandi contraxerit, antequam de hoc illum pœniteat, habetur materiale & formale peccati, quorum primum est habitus, alterum est reatus: post pœnitentiam autem & remissionem tollitur quidem reatus, id-

est

est formale, at materiale, idest habitus durat. In originali ergo, inquiunt ipsi, quod est habituale, concupiscentia est materiale peccati (& in hoc discrepat hæc sententia a sententia Novatorum docentium concupiscentiam esse formaliter peccatum originale), formale vero est reatus consistens in privatione justitiæ originalis. Dimisso autem a Deo originali tollitur quidem hic reatus adeoque formale peccati, sed non ideo tollitur concupiscentia, adeoque remanet materiale.

Noto 9. ita explicari sententiam constituentium originale in peccato Adami moraliter in posteris perseverante. Aliquando in moralibus quæ sunt physice præterita considerantur ut præsentia & existentia. Ita votum E. G. semel emissum, quod jam in se & physice transiit, consistebat enim in actione, cujus entitas non amplius est, moraliter durat, quamdiu non est impletum aut irritatum &c. Rursus aliqui actus in sua permanentia morali dependent a sola voluntate, quæ illos elicuit, ita ut, si hæc illos retractet, non censeantur amplius durare, ut E. G. actus amoris, quem si eliceret, & postea retractaret, hic non censeretur amplius perseverare: alii in sua morali permanentia nedum dependent ab illo, qui eos produxit, sed etiam ab alio, cui per tales actus acquisitum est aliquod jus; ita ut etsi illum, qui hos actus produxit, pœniteat produxisse, adeoque eosdem retractet, si tamen alter non cedat juri suo, illi actus dicantur perseverare. Tale esset votum, cujus etsi voventem pœniteat, adhuc, quousque Deus, qui in ipsum voventem per votum speciale jus acquisivit, tale jus non remittat, dicitur perdurare. Actus ergo peccaminosus, quem propria voluntate elicuit Adam, nosque omnes voluntate illius elicuimus, cum sit talis, ut ipsius moralis duratio non a sola voluntate committentium dependeat, sed etiam a Deo, qui per talem actum jus ad odium in peccatorem acquisivit, tamdiu consequenter moraliter manebit, quamdiu & re-

tra-

tractetur a peccatore, & Deus contentus sit (illum remittendo), ut censeatur amplius non esse. In hoc ergo actu peccaminoso ita moraliter perseverante auctores hujus sententiæ constituunt originale, & hoc nedum extrinsece, ut vult Pighius, sed etiam intrinsece contendunt infici hominem, quatenus non solum ob illud est obnoxius pœnæ peccati, sed etiam ipsi peccato, adeoque vere costituitur & est peccator.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Originale non est substantia mala in sensu Illyrici.*

Prob. ex S. Augustino expresse asserente peccatum non esse substantiam; inquit enim (a): *Iniquitas non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo.* Ergo originale, quod & ipsum est iniquitas, non est substantia.

Prob. ratione. I. falsum est hominem per peccatum amisisse imaginem Dei; hæc enim, in quocumque tandem statuatur, de quo supra, remanet saltem ex parte etiam post peccatum: II. etiam omisso, quod imago Dei, quæ in homine inest, consisteret tota in donis supernaturalibus, quæ homo peccando amisit, sic potest contra Illyricum procedi. Supponamus, quod homo fuisset prius conditus absque his donis, adeoque absque eo, quod esset imago Dei, si postea fuisset talibus donis auctus, hoc sane non importasset mutationem substantialem in humana natura, sed tantum accidentalem. Ergo etsi his donis per peccatum spoliatus sit, adeoque amiserit imaginem Dei, & imaginem Diaboli induerit, hoc

(a) *Serm. I. in Psalm. 68.*

hoc non est factum per mutationem substantialem naturæ, sed solum accidentalem. Ergo &c.

Nec satisfacit Illyricus dicens mutationem per peccatum inductam esse substantialem respectu hominis considerati non *physice*, idest secundum principia ipsum naturaliter constituentia, sed tantum *theologice*, idest secundum *esse* ipsius supernaturale; nam cum hoc *esse* hominis theologicum sit & in se & respectu ipsius hominis accidentale, non apparet quomodo, etsi homo sub hoc respectu mutatus sit, debeat dici mutatus substantialiter.

Obj. ex Scripturis. I. hæ originale exprimunt per nomina denotantia substantiam; dicitur enim; (a) *vetus homo, corpus peccati*: dicitur *regnare in homine*, quod non nisi de substantia dici potest.

II. Hæ dicunt homines per peccatum esse filios Diaboli; inquit enim Christus: (b) *Vos ex patre Diabolo estis*. Produxit ergo Diabolus peccatores & quidem quoad substantiam, ut parentes producunt substantiam filiorum.

III. Hæ dicunt per gratiam renovari imaginem Dei juxta illud; (c) *Induentes novum eum* (hominem), *qui renovatur . . . secundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Ergo imago Dei per peccatum fuerat amissa, consequenter inducta imago Diaboli.

IV. Quod opponitur legi Dei est peccatum. Sed substantia ipsa hominis opponitur legi Dei juxta illud Apostoli; (d) *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Ergo &c.

℟. Ad I. dicta illa esse metaphorica; per *hominem* enim *veterem* intelligitur vita vetus, quæ agitur in peccatis ad similitudinem Adami, ut per

(a) *Rom.* 6. (b) *Jo.* 8.
(c) *Coloss.* 3. (d) *Rom.* 7.

per *hominem novum* vita nova, quæ agitur in gratia ad similitudinem Christi; quod alibi explicat Apostolus, (a) ubi commemorato homine veteri Adamo, qui fuit terrenus, & novo, qui fuit cœlestis, idest Christo subdit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Per corpus peccati* intelligitur complexio peccatorum, quod optime explicat sententia Aposoli dicentis: (b) *Vetus homo noster simul crucifixus, est, ut destruatur corpus peccati*: scilicet ut destruantur omnia peccata. Rursus *regnare* dicitur *peccatum* per hoc, quod sinamus ipsum prævalere rationi, ipsamque sibi subiicere, & hoc ipsum optime stat cum sententia Apostoli dicentis (c): *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*.

Ad II. ℟. cum S. Augustino, qui postquam dixerat: (d) *Tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur, uno secundum naturam, quomodo Isaac filius Abrahæ: . . . . alio secundum doctrinam . . . sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab illo didicerunt Evangelium: tertio secundum imitationem, sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur*, alibi postea alios modos subdens inquit (e): *Quod dixi: tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur, minus considerate dictum est; & alios enim quosdam modos sine dubio prætermisimus, sicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptivus, quæ utique non secundum naturam, nec secundum doctrinam, nec secundum imitationem dicuntur*. Ex his patet peccatores posse dici filios Diaboli, etsi ab illo non sit producta illorum substantia, si nempe voluntate propria aut aliena illum imitentur, si doctrinam ejus audiant, si peccando illi nomen dederint, si ab illo sint, ut ita dicam, in filios adoptati, qua-

(a) 1. *Cor.* 15. (b) *Rom.* 6. (c) *Ibid.*
(d) *Cont. Adim. c.* 5. (e) 1. *Retract. c.* 22.

quatenus ipsis vult obtingere funestam hæreditatem, quam ipse sortitus est.

Ad III. ℟. renovationem imaginis, quæ fit per gratiam, non supponere, quod imago Dei fuerit ablata, sed solum obscurata. Cum autem obscuritas hæc tollitur, dicitur *renovari imago*, ut cum materialis imago in tela depicta remansit quidem substantialiter, sed tamen aliquod detrimentum est passa, si postea ad pristinum statum reducatur, dicitur renovari. Ergo &c.

Ad IV. ℟. esse quidem peccatum quod opponitur legi Dei, si illi opponatur *formaliter*, non vero si opponatur tantum vel *subjective* vel *effective*; tunc enim non est peccatum, sed potius subjectum, vel causa peccati. Hoc autem solum posteriori modo substantia hominis opponitur legi Dei. Ergo &c. Sane inepte quis ita argumentaretur: quod opponitur sanitati est morbus; sed sanitati opponitur homo infirmus, vel venenum. Ergo homo infirmus vel venenum sunt morbus: & hoc quia homo infirmus & venenum non opponuntur sanitati formaliter, sed prior quidem subjective, quatenus est subjectum infirmitatis, alterum autem effective, quatenus infirmitatis est causa. Ita a pari in casu. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Peccatum originale formaliter non consistit in concupiscentia*

Prob. ratione desumpta ex Scriptura, Conciliis & Patribus. In Baptismo tollitur omne id, quod habet veram & formalem rationem peccati. Sed non tollitur concupiscentia: Ergo concupiscentia non est formaliter peccatum. Major, in qua stat tota difficultas (nam Novatores dicunt per Baptismum non tolli peccatum, sed tantum operiri, & non imputari,) prob. I. ex Scriptura; nam Apostolus ait: (a) *Quicumque baptizati sumus*

(a) *Rom.* 6.

mus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ..... Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati : & infra: (a) *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. His autem, ut patet, docemur nos per Baptismum fuisse a peccato liberatos: II. ex Tridentino docente (b): *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit*: III. ex S. Augustino, qui ait (c): *Baptismus abluit quidem omnia peccata, prorsus omnia . . . sive originalia, sive addita*. Ergo &c.

Prob. assertio specialiter ex Augustino ita Julianum alloquente (d), *Tu, qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras; omni enim peccato caret, non omni malo*: alibi: (e) *Restat* (in renatis) *cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas*. Ergo &c.

Prob. ratione. Si homo fuisset creatus in puris naturalibus, concupiscentiæ motibus fuisset subjectus, ut vidimus, & tamen non ideo habuisset originale: è contra cur non posset Deus hominem a concupiscentia per privilegium liberare, quin tamen illum liberaret ab originali? Ergo hoc in concupiscentia formaliter non consistit.

Obj. ex Scripturis I. Apostolus concupiscentiam appellat *peccatum*: non actuale; nam concupiscentia, ut hic sumitur, est potius habitus,

(a) *Ibid. cap.* 8.
(b) *Sess.* 5. *decret. de peccat. origin. can.* 5.
(c) *Contr. duas ep. Pelagian. lib.* 3. *cap.* 3.
(d) *Lib.* 6. *contr. Jul. cap.* 16.
(e) *Serm.* 155. *al.* 6. *de verb. Apost. cap.* 9.

quam actus. Ergo habituale: & si habituale, non aliud, quam originale. Concupiscentiam autem ab Apostolo appellari peccatum prob. ex illis (a): *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*: & ex aliis, ubi loquens de motibus concupiscentiæ inquit: (b) *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, & infra: (c) *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Rursus concupiscentia dicitur *lex peccati*: quid autem importat hæc lex peccati, nisi ipsum peccatum? Ergo &c.

II. Concupiscentia adversatur præcepto: *Non concupisces*. Ergo est peccatum, & cum generatione contrahatur, erit originale. Ergo &c.

℟. Ad I. nomen *peccati* locis adductis non sumi proprie, sed metaphorice, quatenus concupiscentia est pœna peccati, & ad peccatum inclinat. Nec est novum, quod nomen peccati improprie in Scripturis sumatur: sic aliquando sumitur pro effectu peccati; dicit enim Moyses: (d) *Peccatum .... quod feceratis, idest vitulum .... igne combussi*: aliquando sumitur pro victimis, quæ offerebantur pro peccatis (e): *Sacerdotes peccata populi mei comedent*: & ipse Apostolus (f) appellat Christum *peccatum*, quia pro peccatis satisfecit. Hinc Tridentinum hæc habet: (g) *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*: & S. Augustinus ait *Con-*

(a) *Rom.* 6. (b) *Ibid.* 7. (c) *Ibid.*
(d) *Deut.* 9. (e) *Osee* 4. (f) 2. *Cor.* 5.
(g) *Sess.* 5. *decret. de peccat. orig. can.* 5.

(a) *Concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat.*

Ad II. ℟. quod adversatur legi ac illa prohibetur, esse concupiscentiam non ut præcise importat fomitem peccati, sed prout importat consensum in motus inordinatos. Hic autem sermo est de concupiscentia sumpta primo modo. Ergo &c.

Obj. ex Augustino. I. S. Doctor ait: (b): *Sicut cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna aimadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur; ita carnis concupiscentia, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Patet hic S. Doctorem asserere concupiscentiam esse peccatum, nedum quatenus est causa & effectus peccati, sed etiam quatenus inest illi inobedientia contra dominatum mentis. Ergo asserit illam esse formaliter peccatum, & non aliud sane, quam originale (quod maxime comprobat paritas, quam adducit.)

II. S. Doctor asserit concupiscentia hominem non baptizatum fieri reum, & per Baptismum ipsam remitti. Cum ergo originale sit illud, quod hominem reum facit ante Baptismum, & quod per Baptismum remittitur, remanet, ut origina-

---

(a) *Lib.* 1. *de nup. & concup. cap,* 23.
(b) *Lib.* 5. *cont. Jul. cap.* 3.

le sit ipsa concupiscentia. Mens S. Doctoris ex duobus ipsius testimoniis apparet: primum est: (a) *Eam* (concupiscentiam) *malam dicimus*, *& manere tamen in baptizatis*, *quamvis reatus ejus.... quo reum hominem originaliter faciebat*, *fuerit remissus atque vacuatus:* alterum est: (b) *Hæc concupiscentia*, *quæ solo Sacramento regenerationis expiatur*, *profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros*, *nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur*. Ergo &c.

℟. Ad I. prænotando S. Augustinum loco adducto respondere objectioni Juliani, qui sic argumentabatur. Si concupiscentia est pœna peccati, non est ergo curandum, ut eam vincamus, ne videamur tali victoria declinare pœnam a Deo statutam. S. ergo Doctor, postquam pluribus ostendit ineptam esse hanc argumentationem, descendit ad considerandam ipsam concupiscentiam, & primo eam considerat, quatenus voluntarie in eam aliquis consentit permittens illius motus, cum posset impedire, & hanc dicit nedum causam & effectum peccati, sed etiam peccatum: & merito; nam, ut supponitur, est voluntaria, & hæc est, quam comparat cum cæcitate, cui utique, etiam cum est voluntaria, adeoque peccatum, debemus resistere, licet tunc sit etiam pœna peccati: unde infert nos quoque debere resistere concupiscentiæ, licet sit pœna peccati. Et de facto ex ista, quam adducit Augustinus, paritate infertur ipsum loqui tunc de concupiscentia voluntaria modo jam dicto; cum enim ipse dicat cæcitatem peccatum, non potest loqui nisi de cæcitate voluntaria; nam alibi de ignorantia loquens, quæ est ipsa mentis cæcitas, ipsam dividit in *voluntariam* & *involuntariam*, & primam quidem dicit peccatum, secundam vero so-

(a) *Lib. 6. cont. Jul. cap.* 17.
(b) *Lib.* I. *de nup. cap.* 23.

solum pænam peccati, ut patet ex illo S. Doctoris: (a): *Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Ut ergo stet paritas, debet loqui de concupiscentia voluntaria modo jam dicto. Postea concupiscentiam considerat, non quatenus est voluntaria actualiter, sed præcise quatenus est pœna originalis, & eam dicit quidem nos debere tolerare patienter, ita tamen ut conemur illam vincere, quod per gratiam Dei possumus; sicuti id possumus respectu cæcitatis, quæ est involuntaria, & hoc innuit dicens: (b) *Eam autem pœnam, quæ neque error est, neque libido, debet tolerare patientia. Quapropter quando Deo donante ex vera vivitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ.* Concupiscentiam autem hoc modo inspectam (& hoc ipso modo in assertione consideratur) non esse formaliter peccatum docet apertissime Augustinus dicens (c): *Aliud est habere desideria mala cordis, aliud tradi eis; alioquin frustra dictum est: post concupiscentias tuas ne eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes & ad mala tradere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur exercens adversus eas gloriosa certamina.* Ergo &c.

Ad II. ℟. S. Doctorem id asserere de reatu, quo facta est concupiscentia, & qui ab ipsa separabilis est, non de reatu, qui ab ipsa oriatur, & in ipsa fundetur. Concupiscentia scilicet, cum ex peccato originali orta sit, supponit reatum, a quo ipsa sit, quique tamdiu concupiscentiæ remanet unitus, quamdiu non est remissum ori-

(a) *Ep.* 194. *al.* 105. *ad Sixtum cap.* 6. *n.* 27.
(b) *Lib.* 5. *contr. Julian. cap.* 3. *n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 11.

originale, at hoc remisso tollitur illa remanente: & juxta hunc reatum dicit Augustinus concupiscentia hominem esse reum ante Baptismum, illamque tolli in Baptismo. At non dicit reatum ante Baptismum ab ipsa immediate concupiscentia oriri, & in ipsa fundari, secus vero post Baptismum. Exemplo res declaratur. Suppone, quod quis evaserit cæcus per hoc, quod sibi peccaminose effoderit oculos, jam ista cæcitas supponit reatum, a quo oritur, & qui ab ipsa separabilis est; potest enim Deus remittere peccatum remanente cæcitate. At reatus iste non oritur ab ipsa præcise cæcitate, nec in ipsa fundatur, quasi esse cæcum reddat formaliter hominem reum. Recte ergo dici poterit cæcitatem ante remissionem peccati secum habere reatum, & in remissione peccati ipsam remitti, quatenus remittitur ille reatus, a quo ipsa facta est. Ita a pari in casu.

ARTICULUS QUARTUS.

Assertio. *Peccatum originale non consistit in sola privatione justitiæ originalis etiam explicata ut supra in prænotatis.*

Prob. hac unica ratione. Talis privatio etiam explicata ut supra aliquid ante se supponit, in quo commodius statuatur ratio peccati originalis, scilicet moralem perseverantiam peccati, quod Adam commisit. Ergo &c.

Aliæ quoque sunt contra hanc sententiam rationes, quæ, cum multa supponant ad Tractatum de peccatis spectantia, non possent perfecte intelligi, nisi iis omnibus explicatis, quod tamen commodius fiet in eodem Tractatu, ad quem reliqua remitto.

Obj. ex Tridentino (a). Hoc docet originale esse mortem animæ. Mors autem animæ nihil est

(a) *Sess. 5. in Decret. de pecc. orig. can. 2.*

est aliud, nisi privatio justitiæ originalis & gratiæ, quæ est ejusdem animæ vita. Ergo &c.

℟. Tridentinum asserere originale esse mortem animæ *causaliter* & *effective*, non *formaliter;* ut E. G. venenum dicitur esse mors hominis, non utique formaliter, sed effective. Etsi ergo mors animæ consistat in privatione justitiæ originalis, non idcirco in hac privatione consistet originale, quod non est ipsa mors, sed mortis causa.

Obj. ex ratione I. Constitutivum cujusque rei est id, a quo omnes illius rei affectiones & effectus dimanant. At ex privatione justitiæ originalis omnes originalis affectiones & effectus dimanant, scilicet dimanat concupiscentia, partis inferioris in superiorem rebellio, mors corporis &c. Ergo &c.

II. Privatio justitiæ originalis nequit esse pœna originalis peccati, cum hæc privatio puniatur privatione gloriæ, pœna autem alia pœna non puniatur. Remanet ergo, ut sit culpa, & si culpa, non alia certe nisi originalis.

III. In Baptismo per se & primario redditur justitia originalis pro ea parte, quæ dicit subjectionem animæ ad Deum, & unionem cum illo per gratiam; in Baptismo enim primario infunditur gratia. Cum ergo per se & primario in Baptismo deleatur originale, dicendum erit hoc consistere in privatione justitiæ originalis considerata modo explicato. Ergo &c.

℟. Ad I. originalis effectus ab ipsius justitiæ originalis privatione non provenire ut a primaria radice; etenim ante illam privationem est aliud, in quo melius constituatur ratio peccati, & a quo tanquam a primaria radice & ipsa privatio justitiæ originalis, & omnes indicati effectus oriuntur, adest scilicet ipsum peccatum Adami moraliter in posteris perseverans.

Ad II., omisso quod non possit pœna alia pœna puniri (quod, si generaliter asseratur, est falsum; nam si Deus in pœnam peccati sinat hominem in alia peccata labi, hæc alia peccata sunt

prioris pœna, & tamen a Deo puniuntur) hoc inquam omisso ℞. privationem gloriæ non esse pœnam privationis justitiæ originalis de primario, sed solum ad summum de secundario; cum enim ex dictis ante hanc privationem intelligatur moralis perseverantia actus positivi peccaminosi, in pœnam istius primo intelligitur homo privatus gloria, & ad summum de secundario in pœnam privationis jam dictæ.

Ad III. ℞. primarium Baptismi effectum non esse infusionem justitiæ originalis simpliciter, sed infusionem illius prout est deletiva peccati; Baptismus enim per se est sacramentum mortuorum. Quod igitur primario & per se præstat Baptismus, est remissio peccati. Potest autem hoc verificari, vel originale consistat in privatione justitiæ originalis, vel consistat in aliquo alio, dummodo ipsa justitia primario infundatur ad delendum originale. Ergo &c.

ARTICULUS QUINTUS.

Assertio. *Originale non consistit in concupiscentia tanquam in materiali, & privatione justitiæ originalis tamquam in formali.*

Prob. Ex supra visis concupiscentia habet tantum rationem effectus relate ad originale, adeoque est originali extrinseca utpote ipso posterior. Ergo non se habet tanquam illius materiale, quod debet intrinsece ipsum ingredi. Ex supra pariter visis privatio justitiæ originalis est de secundario in originali. Ergo illud tanquam formale constituere non potest. Ergo &c.

Obj. ex Tridentino. Refert Pallavicinus (a) in congregatione, in qua actum est de peccato originali, Angelum quemdam Pascalem Episcopum Do-

(a) *Hist. Concil. lib. 7. cap. 8.*

Dominicanum explicasse naturam originalis per *privationem originalis justitiæ*, quatenus hæc mentem Deo subjiciebat tanquam per *formam*, per *concupiscentiam* vero reliquosque defectus tanquam per *materiam*, cui doctrinæ omnes consenserunt. Ergo &c.

℟. Intentum Paschalis Patrumque approbantium ipsius dictum non fuisse adducere accuratiorem, quæ posset adduci, expositionem naturæ peccati originalis, sed tantum sufficienter illam explicare, quod optime per talem doctrinam præstabatur. Sane hanc fuisse illorum mentem suadet, quod prædictus Episcopus concupiscentiam dicit pœnam rebellionis voluntatis in Deum, in qua rebellione consistit culpa. Ergo concupiscentia adstruitur in posteriori ad ipsum originale. Non ergo adstruitur ut rigorosa materia, quæ ad suum effectum non debet esse in posteriori, sed potius in priori: & proinde ibidem dicta est *quasi materia*. In hanc ergo qualemcumque explicationem Patres consenserunt, qui in Concilium non convenerant, ut scholasticam disputationem aggrederentur circa quidditatem originalis, sed solum ut ea definirent, quæ de fide tenenda sunt circa illud (& de facto in decretis a Patribus circa originale promulgatis nihil habetur circa illius naturam, ut dicto loco fuerat explicata). Patrum ergo consensus non vetat, ne ulterius progrediantur Theologi, & accuratiorem in rigore scholastico inquirant notionem originalis.

Plura ab auctoribus hujus sententiæ pro illa afferuntur ex Augustino, ubi dicit concupiscentiam esse peccatum, & remanere in baptizatis etiam dimisso reatu, quo videtur ostendere concupiscentiam esse materiale originalis, reatum vero illius (qui per ipsos consistit in privatione justitiæ originalis) tolli, quo videtur ostendere talem reatum esse illius formale; sed quoniam supra dictum est quomodo debeant intelligi locutiones Augustini, ideo ab iis afferendis hic abstineo.

Obj. ex ratione, & quidem cohærenter ad dicta in fine articuli tertii. Suppone quod quis sibi peccaminose effoderit oculos, jam in isto peccato materiale est cæcitas, formale vero est reatus, qui potest utique dimitti etiam manente cæcitate. Ita contingit in casu præsenti: homo peccando relaxavit habenas concupiscentiæ, & en quod concupiscentia est materiale peccati: per talem relaxationem factus est homo reus coram Deo, en formale, quod quidem potest auferri adhuc remanente concupiscentia. Ergo &c.

℟. In primis rigorose loquendo cæcitatem in casu nec esse materiale peccati, sed potius effectum hujus materialis; hoc enim est actio, qua quis sibi oculos effodit, quæ quidem non est ipsa cæcitas, sed potius cæcitatis causa. Secundo etiam, dato quod cæcitas esset in casu materiale peccati, adhuc disparitas est inter ipsam & concupiscentiam; nam ideo cæcitas esset materiale peccati, quia facit quid unum moraliter cum actione, qua quis sibi effodit oculos, cum hæc actio per se cæcitatem trahat & ad illam ex intentione operantis sit ordinata. At actio, qua nos in Adamo peccavimus, per se non trahebat concupiscentiam, sed tantum ex ordinatione Dei volentis sic punire peccatum, quod utique potuisset etiam non sic punire: nec eadem actio ad concupiscentiam excitandam ex intentione nostra erat ordinata. Ergo hæc actio cum concupiscentia non facit unum moraliter; consequenter &c.

ARTICULUS SEXTUS.

ASSERTIO. *Peccatum originale probabilius consistit in ipso peccato Adami moraliter in posteris perseverante, quatenus & moraliter cum ipsius voluntate erant conjuncti, cum peccavit, illoque peccante moraliter & ipsi peccaverunt, & nondum illud a Deo est remissum & condonatum.*

Prob. ratione deducta ex Scripturis & Conciliis. Scripturæ & Concilia de originali loquentia do-

docent ipsum esse Adami peccatum, quod est unum & omnes inficit, & quod omnibus inest ut singulis proprium & intrinsecum, non extrinsece solum imputatum; nam Apostolus ait: (a) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum... in quo omnes peccaverunt... per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi &c.* & Tridentinum: (b) *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium &c.* Sed hæc omnia non possunt aptius salvari, quam asserendo originale esse ipsum peccatum Adami moraliter in posteris perseverans &c.; nam sic facimus peccatum originale esse unum & idem in posteris, nimirum esse ipsum peccatum Adami: facimus ipso infici omnes; nam omnes erant moraliter conjuncti cum Adami voluntate, quando peccavit, unde licet sit in se unum, est tamen virtualiter multiplex, perinde ac singuli posteri illud admisissent: facimus ipsum esse singulis proprium, quatenus quilibet revera Adamo peccante per propriam voluntatem moraliter conjunctus erat cum voluntate illius: & ita illud facimus cuique proprium, ut si remissum sit respectu unius, non proinde sit remissum respectu alterius, eo proportionaliter modo, quo infamia patris ita cuique filiorum est propria, ut si respectu unius desinat, non tamen desinat respectu alterius: facimus illud esse cuilibet intrinsecum & non extrinsece solum imputatum; vere enim quilibet in Adamo peccavit, quia in Adami voluntate continebatur, & proinde quemlibet vere & proprie afficit, redditque peccatorem: facimus tandem ipsum in omnibus perseverare, quamdiu a Deo non est remissum. Ergo &c.

(a) *Rom.* 5. (b) *Sess.* 5. *Can.* 3.

Obj. ex Scripturis. I. hæ docent in Christo fuisse moraliter iniquitates omnium hominum juxta illud (a): *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, nec tamen per hanc moralem existentiam peccatorum in Christo ille fuit formaliter peccator. Ergo a pari per moralem existentiam peccati Adam in posteris hi non constituuntur peccatores.

II. Hæ docent nos eodem modo esse peccatores per Adam, quo efficimur justi per Christum; inquit enim Apostolus: (b): *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi*. At nos non efficimur formaliter justi per justitiam Christi moraliter in nobis existentem, cum justitia Christi non sit in forma justificationis nostræ, sed tantum causa meritoria. Ergo a pari non constituimur formaliter peccatores per peccatum Adæ.

III. Hæ docent peccata parentum moraliter manere in filiis; nam interdum Deus punit in filiis peccata patrum, ut constat ex illo: (c). *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. (non puniret autem hæc peccata in filiis, nisi in ipsis moraliter perseverarent.) At ob hanc perseverantiam filii non constituuntur formaliter peccatores. Ergo a pari &c.

℟. Ad I. diverso modo esse peccata hominum in Christo, ac sit peccatum Adæ in nobis; in Christo enim peccata hominum non sunt, quatenus voluntas Christi conjuncta sit cum voluntatibus hominum peccantium, sed solum quatenus ipse onus assumpsit satisfaciendi pro illis, quod non sufficit, ut Christus dici possit formaliter peccator. At peccatum Adæ in nobis est, quate-

(a) *Isaiæ* 53. (b) *Rom.* 5. (c) *Exod.* 20.

tenus voluntas nostra connexa moraliter erat cum voluntate illius, quando peccavit, unde sicuti ille peccando se avertit a Deo, ita & nos aversi sumus: hoc autem nos vere efficit peccatores.

Ad II. ℟. paritatem, quam ibidem instituit Apostolus, non esse rigorosam, alias sicuti posito solo peccato Adami sine ullo actu nostro evadimus peccatores, ita posita sola justitia Christi evaderemus justi, quod tamen esse falsum constat ex quo ad justificationem pro adultis aliquæ actuales dispositiones requirantur, & pro parvulis saltem requiratur positio Baptismatis. Indicat ergo Apostolus paritatem in genere causæ præcise sumptæ, ita ut hic sit sensus: nostræ justificationis est causa Christus, & nostræ perditionis fuit causa Adamus.

Ad III. ℟. filios non puniri ob peccata parentum illis moraliter imputata, sed tantum ob conjunctionem, quam habent cum parentibus peccatoribus, quatenus scilicet per se Deus vult hos punire, quibus cum in penam cedant etiam calamitates filiorum, isti proinde veluti per accidens & concomitanter puniuntur. Contrarium evenit in peccato Adami, quod ejus posteros vere reddit peccatores. Ergo &c. Posset etiam responderi cum SS. Augustino & Gregorio filios puniri ob peccata parentum solum cum illa imitantur, quo casu non tam moraliter sunt conjuncti cum voluntate parentum, quam physice per propriam voluntatem peccant.

Obj. ex Tridentino. Si originale consisteret in peccato Adami modo explicato, homines constituerentur peccatores per hoc, quod illis imputaretur moraliter peccatum Adæ, perinde ac illud singuli commisissent. Hoc autem adversatur Tridentino; nam si homines ita constituerentur peccatores, jam cessarent esse peccatores per hoc, quod illis amplius non imputaretur, cum tamen Tridentinum (a) definiat remissionem originalis non esse meram non imputationem. Ergo &c.

(a) *Sess.* 5. *Can.* 5. *in Decret. de pecc. orig.*

℟. ex nostra sententia non sequi remissionem peccati consistere in mera non imputatione sensu, quo id contendebant Novatores, contra quos loquitur Concilium (contendebant scilicet originale consistere in concupiscentia, quæ cum in Baptismo non tollatur, ipsi dicebant tantum non imputari ad peccatum); nam remissio peccati etiam per nos nedum tegit illud & facit non imputari, sed revera tollit, ita ut post remissionem nihil amplius in homine sit, quod illum reddat Deo odiosum. Ut interim omittam, quod remissio peccati etiam per nos de facto non fit præcise per hoc, quod Deus non consideret amplius hominem ut peccatorem, sed per infusionem alicujus doni intrinseci, quo etiam sensu verum est remissionem peccati non consistere in mera non imputatione.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus docet peccatum Adami esse causam originalis; inquit enim: (a) *Voluntarium peccatum hominis primi est originalis causa peccati*. Ergo originale non potest esse ipsum peccatum Adami; alias hoc esset causa suimetipsius.

℟. originale consideratum respectu Adami posse esse causam sui ipsius considerati respectu nostrum; verificatur enim ideo nos esse originaliter peccatores, quia Adamus actualiter peccavit.

Obj. ex ratione. I. si originale consisteret in peccato Adami moraliter perseverante, jam non condonatio Dei ingrederetur constitutiva ipsius originalis, cum hæc perseverantia peccati necessario includat, quod Deus illud non condonaverit; alias non amplius perseveraret. Hoc autem est absurdum. Ergo &c.

II. non potest aliquid de præsenti existens habere constitutiva, quæ amplius non existant. Ergo originale, quod de præsenti existit, non potest

(a) *Lib.* 2. *de nup. & concup. cap.* 26.

test habere constitutiva, quæ amplius non existant, quale est peccatum Adami.

III. si originale esset peccatum Adami, jam eandem pœnam mereretur, ac illud meruit, adeoque sicut illud (Adamo pœnitentiam non agente) punitum fuisset pœna tam damni, quam ignis, ita hoc quoque deberet puniri, quod tamen communius modo negatur. Ergo &c

Ad I. ℞. difficultatem æque militare contra omnes alias sententias; quacumque enim ex iis posita semper verificatur perseverantiam peccati includere non condonationem Dei, alias illud non perseveraret. Directe dico non condonationem Dei non esse constitutivum originalis, sed solum conditionem, sine qua illud non perseveraret; constitutivum enim durationis rei non potest esse non destructio ejusdem, cum constitutivum rei positivæ non possit esse quid negativum. Requiritur quidem non condonatio Dei, ut intelligatur originale perseverare, sed hoc solum probat hanc non condonationem esse conditionem. Originalis ergo constitutiva jam posita fuerunt ab Adamo ut virtualiter continente voluntates posterorum, & ita posita, ut ex se postulent perpetuam durationem, cum homo peccando se ponat in statu, a quo per se non potest surgere, & solum potest auxilio gratiæ, quam eo ipso, quod est gratia, posset Deus non impertiri, & sic hominem relinquere in statu peccati. Sicuti ergo si Petrus E. G. infligat Paulo vulnus, ex quo hic claudus irreparabiliter evadat, nisi medicus adhibeat circa illum singulare remedium, quod adhibere non tenetur, & quod de facto adhibere nolit, medicus dicetur quidem conditio, sine qua Paulus non claudicaret, non tamen dicetur causa claudicationis, nec constitutiva durationis ejusdem claudicationis posuisse, cujus causa Petrus solus dicendus est; ita a pari in casu.

Ad II. ℞. originale (utpote habituale) non constitui a peccato Adami præcise ut fuit actuale, sed ut moraliter nunc perseverat. Actus autem illius peccati jam quidem pertransiit, sed mora-

ralis perseverantia habetur nunc. Ergo nunc habentur originalis constitutiva.

Ad III. ℟. quod, si subsistit diversitas illa pœnarum, de qua in objectione (utrum autem subsistat examinabo infra) id ex eo oritur, quod originale, licet sit idem in Adamo & in posteris, diverso tamen modo illos respicit, cum ab Adamo fuerit propria voluntate patratum, a posteris aliena.

Videantur etiam, quæ dicentur in Tractatu de peccatis, ubi de macula peccati seu de peccato habituali.

CAPUT QUARTUM.

Utrum Deipara fuerit ab originali immunis.

AFferam hic 1. notanda ad intelligentiam quæstionis: 2. assertiones statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. a tempore Scoti ad nostra usque fere communiter defendi in Ecclesia (si tamen excipias plerosque ex Dominicanorum schola, qui contrarium docuerunt quousque licuit) Deiparam in primo conceptionis suæ instanti fuisse sanctificatam, ita ut ne puncto quidem temporis extiterit originali maculata.

Noto 2. sententiam hanc non esse quidem de fide, sed tamen ita illi favere Ecclesiam, ut moraliter certa & proxime definibilis dicenda sit, ut ex probationibus apparebit.

Noto 3. aliam esse quæstionem ad hunc locum pertinentem, utrum Maria saltem habuerit debitum contrahendi originale. Pro qua quæstione intelligenda duplex distinguendum est tale debitum, *remotum* nimirum, & *proximum*. Primum ex eo præcise oritur, quod per carnalem generationem Maria descenderit ab Adamo, in quo omnes peccaverunt, unde stante generali Dei lege, quod omnes sic descendentes debuerint illius

vo-

voluntati alligari, cum peccavit, & ipsa debuisset ita alligari: secundum oritur ex quo & ipsa fuerit tali voluntati alligata, atque illo peccante moraliter & ipsa peccaverit, unde cum cœpit existere physice ipsius anima, debuisset esse ad instar aliorum peccato maculata, nisi Deus illam statim sanctificasset. Conveniunt omnes in hoc, quod Maria habuerit debitum remotum contrahendi originale. Circa proximnm discordes sunt & ipsi propugnatores piæ sententiæ de immaculata conceptione Deiparæ pluribus illud negantibus, pluribus idem adstruentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Beatissima Virgo in primo conceptionis instanti fuit sanctificata, adeoque nunquam fuit maculata originali.*

Prob. ex Scripturis; aliqua enim loca ab Ecclesia mystice intellecta de Maria talem sanctificationem evincunt. Talis est ille: (a) *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*, ubi fundamenta commendantur, & portæ mysticæ hujus civitatis, scilicet illius initia: & ille: (b) *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: & alius: (c) *Ave gratia plena*, ubi cum plenitudo gratiæ non possit intelligi quoad intensionem, quasi Maria nullo gratiæ gradu caruerit (ulterioris enim gratiæ illam fuisse capacem probat, quod eandem usque in finem vitæ auxit), debet intelligi quoad extensionem, ita ut nullo unquam tempore vitæ suæ gratia caruerit. Ergo &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. Omisso enim quod in VI. Synodo approbata est epistola Sophronii, in qua Deipara dicitur (d) *Sancta . . . . & ab omni con-*

(a) *Psal.* 86. (b) *Cantic.* 4.
(c) *Luc.* 1. (d) *Act.* 11. & 13.

contagione liberata & corporis & animæ & intellectus sanctissima, & intemerata, & quod in VII. Synodo appobata est epistola Tarasii, in qua ipsa dicitur (a) *intemerata* & quod Tridentinum declarat (b) *Non esse suæ intentionis comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam*: his inquam omissis.

Habemus constitutionem Sixti IV. incipientem *Cum praexcelsa*, qua iis, qui celebraverint officium & missam immaculatæ conceptionis Deiparæ, aut illis interfuerint, indulgentiam concedit, & alteram incipientem *Grave nimis*, qua sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ prohibet, ne quis defensores immaculatæ conceptionis ut hæreticos traducat. Habemus constitutionem Pauli V. incipientem *Sanctissimus*, qua prohibet, ne quis publice aut in concionibus, aut in conclusionibus, aut aliis actibus publicis defendat opinionem contrariam immaculatæ conceptioni Deiparæ, quas constitutiones Gregorius XV. extendit etiam ad sermones privatos, exceptis tamen iis, quibus a Sede Apostolica fuerat specialiter concessum contrarium: & hoc pariter decrevit Alexander VII. Præterea Innocentius VIII. approbavit ordinem Monalium sub titulo conceptionis Deiparæ, & Clemens XI. voluit, ut festum immaculatæ conceptionis, quod jampridem celebrabatur, esset festum de præcepto pro tota Ecclesia. Addi possunt statuta celeberrimarum Accademiarum, ut Parisiensis, Valentinæ, Cracoviensis, & aliarum, quæ statuerunt, ut nulli in posterum concederetur gradus Licentiatus aut Doctoratus in sacra Theologia, nisi juraret se defensurum immaculatam conceptionem Deiparæ.

His autem positis tale instituitur argumentum. Si Deipara non fuisset immaculate concepta,

---

(a) *Act.* 5. (b) *Sess.* 5.

pta, jam cultus talis conceptionis utpote cultus objecti falsi esset superstitiosus. Ecclesia ergo illi cultui favens, imo illum præcipiens faveret cultui superstitioso illumque præciperet. Hoc non. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Ephrem Syrus Mariam appellat (a) *Immaculatam, intemeratam, incorruptam..... & ab omni peccati labe alienissimam:* S. Ambrosius dicit (b) *Deiparam per gratiam fuisse ab omni integram labe peccati:* S. Hieronymus, vel quivis alius auctor Breviarii in Psalmos inter opera S. Hieronymi, postquam Mariam appellavit nubem diei, inquit: (c) *Nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce:* S. Augustinus inquit: (d) *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; unde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum &c.?* Præterea S. Doctor ut probet Christum non habuisse originale ait: (e) *Profecto peccatum etiam major fecisset,* (Christus) *si parvus habuisset; nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Hujus argumenti summa hæc est: quicumque habet originale, habet etiam (subintellige si evadat adultus) actualia. Christus actualia non habuit. Ergo nec originale. Sed hoc idem dici potest de Deipara, quæ nullum actuale peccatum habuit per omnes. Ergo &c. Et quamvis Augustinus nullum excipiat

(a) *Orat. ad Dei Genit.*
(b) *In Psal.* 118. (c) *In Psal.* 77.
(d) *De Nat. & Grat. cap.* 36.
(e) *Lib.* 5. *cont. Jul. cap.* 15.

piat expresse nisi Christum, implicite tamen ab ipso excipi Mariam patet ex supra adducto loco, ubi dicit se, cum de peccato agitur, nolle de Maria habere quæstionem. S. Anselmus inquit: (a) *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*.

Juvat etiam hic afferre duo dicta, alterum S. Bernardi, alterum Angelici Præceptoris, non quasi contendam ipsos, dum hæc scriberent, favisse statutæ sententiæ, sed ut appareat illos, si modo scriberent, hanc propugnaturos. Cum Canonici Lugdunenses cœpissent celebrare festum conceptionis Deiparæ, S. Bernardus (b) illos reprehendit, quod hoc proprio marte fecissent & inconsulta Ecclesia Romana, & contra praxim illius, quæ tale festum non celebrabat, addens se quidem veneraturum assumptionem & nativitatem Deiparæ, quia hæc festa colebat Ecclesia, non autem conceptionem, quam non ita colebat. *Ego*, inquit, *quod ab Ecclesia accepi, securus & teneo & trado... Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo* (Deipara) *assumpta de sæculo nequam cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut sancta prodiret..... Nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens*. Cum ergo quæ hic dicit S. Bernardus circa assumptionem & nativitatem Deiparæ, nunc militent etiam pro conceptione, ideo & hanc admitteret Bernardus, si modo scriberet: præsertim

---

(a) *Lib. de Concept. Virg. cap.* 18.
(b) *Ep.* 174.

tim cum epistolam ita absolvat: *Quæ dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*. Romana porro Ecclesia apertissime nunc immaculatæ Deiparæ conceptioni favet. Ergo etiam faveret Bernardus. S. Thomas ut probet sanctam fuisse Mariam in nativitate, hæc habet: (a) *Ecclesia celebrat nativitatem B. M. Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit Sancta*. Sed hoc idem modo valet pro immaculata conceptione Deiparæ. Ergo &c.

Prob. congruentiis. I. congruum est, ut Christus, cum alios redemerit illos a peccato liberando, aliquem hominem redimeret ea nobilissima redemptione, quæ consistit in præservatione a peccato. Quinam autem potius debebat ita redimi, quam ipsius mater? II. Christus dispensavit cum matre sua in multis aliis legibus, puta quod fuerit mater & virgo, quod non sit passa dolorem in pariendo, quod non habuerit fomitem peccati, quod non sit in cineres redacta post mortem. Ergo congruum videtur, ut cum ea quoque dispensaverit in lege originalis.

Obj. ex Scripturis. I. illa verba, quæ Virgini ab Ecclesia aptantur: (b) *Nigra sum, sed formosa*, quæ indicant Mariam aliquando fuisse peccatricem.

II. Quod ex iis constet omnes homines (præter Christum) ex Adamo peccatum contrahere, adeoque etiam Deiparam. Ergo &c.

℟. Ad I. de tali nigredine ibi fieri sermonem, quæ conjungitur cum pulchritudine. Ergo non

(a) 3. *part. quest.* 27. *art.* 1.
(b) *Cant.* 1.

non de nigredine consistente in peccato, quæ pulchritudini repugnat. Nigredo ergo hæc salvari potest per debitum, quod habebat Virgo contrahendi originale juxta inferius explicanda.

Ad II. ℟. juxta alias dicta aliquando propositiones univesales Scripturæ, data aliqua causa, intelligi debere cum aliqua limitatione. Sane dicitur etiam universaliter: (a) *Omnis homo mendax*: (b) *In multis offendimus omnes*, quæ debent intelligi cum exceptione Deiparæ; hæc enim per omnes nunquam actualiter peccavit. Ergo a pari in casu ob rationes in probationibus adductas.

Obj. ex ratione. I. Deipara fuit obnoxia malis consequentibus originale, puta morti &c. Ergo etiam originali.

II. Saltem ex præcepto Ecclesiæ statuentis, ut celebretur festum immaculatæ conceptionis Deiparæ, colligi non potest ipsam esse immaculate conceptam; quomodo ex hoc, quod Ecclesia præcipiat omnes hostias, quæ publice exhibentur adorationi, esse adorandas ut consecratas, non sequitur hostiam A. vel hostiam B. esse valide consecratas.

℟. Ad I. & ipsum Christum fuisse obnoxium aliquibus malis originale consequentibus, ut morti &c., nec tamen ipse habebat originale. Sicuti ergo Christus ea mala pertulit non ut pœnas originalis, quo fuerit infectus, ita etiam Deipara. Circa hoc perpendatur damnata 73. propositio Baji inquiens: *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

Ad

(a) *Psalm.* 115. (b) *Jacob.* 3.

Ad II. ℟. omiſſis aliis, aſſignando diſparitatem; in caſu enim aſſertionis Eccleſia præciperet cultum univerſaliter & ex ſe terminantem ad ſanctificationem falſo ſuppoſitam. At in alio caſu cultus terminaret ad Sacramentum falſo ſuppoſitum ſolum hic & nunc per accidens omnino, & ex defectu alicujus particularis circumſtantiæ E. G. intentionis, materiei &c. Ergo &c.

Aſsertio secunda. *Probabilius Deipara habuit debitum etiam proximum contrahendi originale.*

Prob. Ex una parte admiſſa aſſertione ſalvatur quidquid circa ſanctitatem Deiparæ eſt ſalvandum, ut patebit ſolutione objectionum: ex alia debemus, quantum poſſumus, ſalvare & quod omnes per carnalem generationem ab Adamo deſcenſuri in ipſo peccaverint, adeoque fuerint illius voluntati alligati, cum peccavit, & quod Chriſtus a morte peccati omnes redemerit: quæ omnia melius ſalvantur dicendo Mariam habuiſſe etiam debitum proximum contrahendi originale; nam ſic aſſerimus ipſam fuiſſe incluſam in voluntate Adami peccantis, & illo peccante ipſam quoque moraliter peccaſſe, adeoque a peccato ita ſumpto per Chriſtum fuiſſe redemptam. Imo debitum tantum remotum videtur inſufficiens ad ſalvandum, quod Maria vere & in rigore debuiſſet infici originali, niſi fuiſſet præſervata; nam, ut inquit Valentia, cum nullum fuerit ex natura rei debitum, ut deſcendentes carnaliter ex Adamo illius peccato inficerentur, debitum omne oritur ex libera lege Dei ſtatuentis, ut in illius voluntate illorum quoque voluntates continerentur. Si ergo ſupponamus hac lege Deiparam non fuiſſe affectam, jam vere & in rigore Maria non debuit infici originali. Ergo &c

Obj. ex ratione. I. admiſſa hac ſententia jam Maria aliquando peccavit: aliquando ergo fuit Deo odibilis. Ergo non ſemper ſancta, conſequenter &c.

II.

II. Melius saltem consulitur dignitati & sanctitati Mariæ, si dicamus ipsam nec fuisse inclusam in voluntate Adami peccantis, adeoque proximum debitum originalis non habuisse. Ergo &c.

℟. Ad I. Mariam quidem juxta assertionem statutam aliquando peccasse, sed solum moraliter & in voluntate alterius: quod non impedit, ne ipsa in propria persona existens nunquam fuerit maculata peccato, adeoque ne semper fuerit sancta. Est autem tantum salvandum ex adductis in superiore assertione, quod Maria jam in propria persona existens semper fuerit sancta, adeoque ne puncto quidem temporis peccato maculata. Ergo &c.

Ad II. ℟. omittendo nos melius fortasse consulturos dignitati & sanctitati Mariæ hoc asserendo, si aliunde non haberemus fundamentum hoc negandi, quale haberi in casu ostensum est. Et sane sicuti nemo, ut consulat dignitati Mariæ, dicet ipsam fuisse conceptam de Spiritu S., ipsam fuisse immortalem &c., & hoc quia alia obstant; ita in casu.

DISSERTATIO III.

De fine Mundi.

MUlta accident in fine mundi ad hominem peculiariter pertinentia, quorum proinde notitia congruit Tractatui de homine. Dissertationem hanc itaque in tria capita divido. In 1. agam de signis præcessuris finem mundi, in 2. de generali corporum resurrectione ac judicio universali, in 3. de fabula Millenariorum.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De signis præcessuris finem mundi.

AGam hic 1. de his signis in genere, 2. specialiter de Antichristo.

ARTICULUS PRIMUS.

Interrogatus Christus, quænam futura essent signa sui adventus & consummationis sæculi, plura attulit his verbis: (a) *Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus . . . . Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca . . . . & prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe . . . . . Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.* Apostolus etiam docet mundum non habiturum finem, (b) *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.*

Ex his principaliora juxta Cathechismum Romanum sunt (c) *prædicatio Evangelii*, *discessio*, & *Antichristus*, quorum primum importat, ut ante consummationem sæculi debeat prædicari Evangelium in universo mundo, ita ut nulla futura sit natio, cui non fuerit proposita fides Christi & veritas nostræ Religionis: per secundum intelligunt aliqui separationem multorum a

(a) *Matt.* 24. (b) 2. *Thess.* 2.
(c) *In Act.* 7. *Symb.*

fide, sed communius intelligitur destructio Imperii Romani: per tertium intelligitur Antichristus. De hoc præstat hic speciatim afferre quæ ex communiori Patrum eruuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Antichristus erit verus, realis ac simplex homo, non Dæmon incarnatus (ut quidam sunt fabulati), qui ob insignem malitiam & oppositionem, quam habebit cum Christo, sic dicetur; *Antichristus* enim idem est, ac *oppositus Christo*: quo nomine, licet aliquando in Scripturis denotentur omnes hostes Christi, juxta quod dicit S. Joannes (a): *Nunc antichristi multi facti sunt*, antonomastice tamen denotatur scelestus ille, qui in fine mundi omnium aliorum impietatem superabit & odium in Christum.

Natione erit Judæus: ex tribu Dan ipsum futurum docent plures Patres, & ex Babylone, quæ ipsius tempore subsistet. Corpus sortietur ac animam donis naturalibus excellentia, quibus Dæmon utetur ad omnes impietatis modos ipsi suggerendos. Omnes scientias propterea facillime discet, ac omnium Religionum noscet ritus, sed maxime magicis artibus operam dabit, in quibus opem ei ferente Dæmone maxime proficiet.

A prima adolescentia in omnia vitia præceps ruet, & Diabolum ipsum adorabit; quamvis non desint, qui affirment seipsum solum ut Deum habiturum. Præstigiis, dolis, ac blandis sermonibus socios sibi adsciscet ex omnibus gentibus, sed ex Judæis præcipue, quibus persuadebit se esse Messiam, & eorum ope adjutus paulatim ita potens fiet, ut pugnando contra Reges & Principes eos tandem vincat, ac sibi subjiciat.

In-

(a) 1. *Jo.* 2.

Interim christianæ Religioni acerrimum bellum indicet; nam nihil non molietur, ut Christianos a vera Religione abducat, ac revera qua minis, qua blanditiis plerosque in præcipitium trahet. Ad eundem finem omnes libros tum Scripturarum, tum Patrum, quos invenire poterit, comburet, templa & alia sacra loca diruet, interdicet usum sacrificii & Sacramentorum, & cujuscumque alterius ecclesiastici ritus. Quidquid præterea excogitare potest maxima sævities adhibebit, ut paucos illos Christianos cruciet, qui nolent ejus mandatis obsequi. Persecutio itaque, quam tunc Antichristus excitabit in Ecclesiam, maxima omnium præteritarum erit: quod etiam docuit Christus dicens: (*a*) *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*. Fugient itaque Christiani in loca deserta, ut aliquatenus possint Religionis ritibus vacare, & hoc prædicit S. Joannes, ubi de Ecclesia tunc temporis sub typo mulieris dicit: (*b*) *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*.

Hoc tempore in mundo apparebunt Enoch & Elias, & contra Antichristum prædicationem instituent, quæ durabit diebus mille ducentis sexaginta juxta illud: (*c*) *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta* (& hi dies efficiunt tres fere annos cum dimidio). Fructus hujus prædicationis erit convertere nedum ad pœnitentiam multos Christianos, sed etiam ad fidem multos Judæos.

Exacto hoc tempore occidentur ab Antichristo, & eorum corpora jacebunt insepulta tribus diebus cum dimidio, sed postea resurgent atque ad cœlum ascendent. Hæc omnia descripta vide in Apocalypsi (*d*).

(a) *Matt.* 24. (b) *Apoc.* 12.
(c) *Apoc.* 11. (d) *Ibid.*

Paulo poſt Antichriſtus ipſe occidetur; imperium enim illius nonniſi tribus annis cum dimidio duraturum docent conſtanter Patres nixi pluribus Scripturæ locis, & præcipue illis (a): *Et a tempore cum ablatum fuerit juge Sacrificium...dies mille ducenti nonaginta*: rurſus (b): *Data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos &c.* His tranſactis Chriſtus ipſe, ut docet Apoſtolus (c), *ſpiritu oris ſui* illum interficiet. Poſt illius interfectionem quantum temporis effluxurum ſit uſque ad finem mundi, eſt incertum; conſtat tamen breve illud futurum, cum Antichriſtus verſus mundi finem ſit venturus.

Ex his patet quam immerito Novatores R. Pontificem ut Antichriſtum traducant; non enim ullo modo ſupradicti Antichriſti characteres R. Pontifici aptari poſſunt.

CAPUT SECUNDUM.

De generali corporum reſurrectione ac judicio finali.

AGam hic 1. de morte hominum, qui erunt in fine mundi, 2. de generali corporum reſurrectione, 3. de judicio finali.

ARTICULUS PRIMUS.

Homines, qui vivent ultimis mundi diebus, non morituros, ſed vivos jugiter perſeveraturos docuerunt aliqui Patres præſertim Græci, ſed ſententia contraria eſt, ut docet S. Thomas, magis conformis Scripturæ & ſenſui Eccleſiæ. Cum hac ergo ſit

Assertio. *Omnes omnino homines debent aliquando mori.*

Prob.

(a) *Daniel.* 12. (b) *Apoc.* 13.
(c) 2. *Theſſ.* 2.

Prob. ex Scripturis. I. hæ legem mortis statuunt universalem pro omnibus hominibus juxta illud: (a) *Quis est homo, qui vivet & non videbit mortem?* & illud: (b) *Statutum est hominibus semel mori*. II. hæ docent igne in fine mundi omnia comburenda; dicit enim S. Petrus: (c) *Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii & perditionis impiorum hominum ... Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur.... expectantes & properantes in adventum diei* Domini, *per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*. Cum autem hoc eventurum sit ante diem judicii juxta illud: (d) *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, & aliud: (e) *Ante faciem ejus ignis vorans*, hoc proinde igne omnes homines occidentur, nisi citra necessitatem miraculum aliquod adstruamus. Ergo &c.

Prob. ratione. Non videtur concedendum privilegium non moriendi iis, qui originali fuerunt maculati, quando nec Deipara, nec ipse Christus, qui eodem maculati non sunt, illud non habuerunt. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. Christus dicitur (f) judicaturus vivos & mortuos. Cum autem nomine *mortuorum* veniant, qui jam fuerant mortui, & postea resurrexerunt, reliquum est, ut nomine *vivorum* veniant qui nunquam mortui sunt.

II. ubi nostra Vulgata legit: (g) *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, græci codices habent: *Non omnes quidem dor-*

(a) *Psalm.* 88. (b) *Heb.* 9.
(c) *Ep.* 2. *cap.* 3. (d) *Psal.* 96.
(e) *Joel.* 2. (f) *Act.* 10.
(g) 1. *Cor.* 15.

miemus, *omnes tamen immutabimur*, idest non omnes moriemur, sed omnes mutabimus corpus de mortali in immortale.

III. postquam dixit Apostolus: (a) *Mortui: qui in Christo sunt*, *resurgent primi*, subdit, *Deinde nos*, *qui vivimus*, *qui relinquimur*, *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera &c.*: quibus indicatur alios præter illos, qui surrexerunt ex morte, obviam Christo ituros. Hi autem non possunt esse nisi viventes. Ergo &c.

℟. ad I. multipliciter explicari posse illud *vivos* & *mortuos*: primo quia, cum durante mundo semper in terra aliqui homines sint vivi, alii mortui, dicitur Christus utrosque judicaturus, ut omnes comprehendantur: secundo potest explicari de illis, qui erunt vivi vita gratiæ, & de illis, qui tali vita non vivent: tertio potest juxta Angelicum explicari de iis, qui antecedenter ad ultimam combustionem jam obierunt, quique veniunt nomine mortuorum, & de iis, qui ultimo solum incendio peribunt, quique dicuntur vivi, cum usque in finem sint victuri, & citissime post mortem resurrecturi. Ergo &c.

Ad II. omisso, quod præferenda est lectio nostræ Vulgatæ ob auctoritatem tum Tridentini, tum Hieronymi, qui ita legendum dicit, ℟. posse etiam lectionem græcam ita explicari: non omnes dormiemus, idest non omnes diu manebimus mortui, quia aliqui statim post mortem resurgent, illi scilicet, qui igne ultimo interibunt: *dormire* enim videtur aliquid amplius denotare, quam *mori*; nam ut naturaliter dormire videtur denotare continuationem quietis & somni, ita mystice denotare videtur, quod quis per aliquod tempus notabile mortuus perseveret.

Ad

(a) *Thess.* 4.

Ad III. ℞ hunc eſſe ſenſum Apoſtoli: omnes, qui mortui ſunt in Chriſto, primo reſurgent, & obviam ibunt ipſi Chriſto, his autem jungemur & nos, qui adhuc vivimus: quod dicit appoſite, ut conſoletur eos, qui mortuos lugebant; ſi enim ſperandum eſt, ut omnes tandem jungamur in gloria, non eſt, cur mortuos lugeamus. Illi ergo viventes, quos dicit Apoſtolus obviam Chriſto ituros, non ſunt homines, qui in die judicii non erunt mortui, ſed ſunt qui vivebant ipſius tempore, inter quos ſeipſum commemorat (loquitur enim in prima perſona), nec tamen ipſe exiſtimabat ſe non moriturum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De reſurrectione acturus noto 1. me hic aſſumere examinandam ſubſtantiam dogmatis Catholici de reſurrectione, utrum ſcilicet futura ſit mortuorum reſurrectio; de circumſtantiis enim reſurrectionis poſtea breviter agam.

Noto 2. ad tres claſſes revocari poſſe qui errarunt contra fidem de reſurrectione carnis; alii enim eam omnino de medio ſuſtulerunt, alii pro aliquibus admiſerunt, & pro aliis negarunt, alii admiſerunt quidem pro omnibus, ſed errarunt in aſſignando modo, quo fiet. In prima claſſe fuerunt, præter omnes fere Gentiles Philoſophos, Sadducæi & aliqui antiqui Hæretici, ut Simoniani, Saturniani, Baſilidiani, Valentiniani, & Marcionitæ: in ſecunda claſſe fuerunt qui negarunt apud Auguſtinum fœminas eſſe reſurrecturas, vel qui docuerunt non eſſe reſurrecturos impios aut infantes nondum natos: in tertia claſſe fuit inter alios Euthychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui docebat homines eſſe reſurrecturos non in eodem corpore, quod viventes habebant, ſed in alio corpore vel aereo, vel cœleſti &c.

Noto 3. me conſulto inter negantes univerſalem corporum reſurrectionem in ſecunda claſſe recenſitos non enumeraſſe negantes reſurrecturos

vos illos, qui vivent in fine mundi; hi enim in substantiam dogmatis de resurrectione conveniunt, cum asserant omnes mortuos resurrecturos, & solum velint eos, qui in fine mundi vivent, non esse morituros, quod quidem, licet ex dictis falsum, non tamen est ab Ecclesia expresse reprobatum.

Noto 4. me non contendere omnes omnino homines in fine mundi resurrecturos, sed illos solum, qui antecedenter non resurrexerunt. Hoc noto, ne quis putet me existimare B. Virginem solum in fine mundi resurrecturam; hanc enim existimo multo pridem resurrexisse, & in cœlum etiam cum corpore glorioso assumptam fuisse. Si qui etiam sunt alii, qui prius resurrexerint, sive boni, sive mali, hi certe in fine mundi non amplius resurgent, cum tunc non futuri sint computandi inter mortuos. Cum ergo infra asseram omnes homines resurrecturos, id eo sensu intelligi volo, ut omnes homines tandem aliquando debeant resurgere, sive postea debeant resurgere in fine mundi in generali resurrectione, sive jam antecedenter resurrexerint, Sit ergo

Assertio. *Omnes omnino homines, qui aliquando mortui sunt, debent a mortuis virtute divina suscitari, ita ut eadem corpora reassumant, quæ prius habebant*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura. Ibi habetur: (a) *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Apostolus protestatus est se credere (b) *Resurrectionem futuram justorum, & iniquorum*, & alibi inquit: (c) *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*. Ergo &c.

Prob.

(a) *Jo.* 5. (b) *Act.* 24. (c) *Cor.* 25.

Prob. ex Symbolis fidei. Apostolicum hæc habet: *Credo carnis resurrectionem*, & Constantinopolitanum: *Expecto resurrectionem mortuorum*.

Prob. ex Patribus, qui unanimiter universalem mortuorum resurrectionem docuerunt. Sufficiat Augustinus inquiens: (*a*) *Resurrecturam carnem omnium, quicumque nati sunt, hominum, atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. hæ generaliter negant carnis resurrectionem; dicunt enim spiritum hominis, postquam ab eo exierit, amplius non reversurum. Sic dicitur: (*b*) *Spiritus vadens & non rediens*: & rursus: (*c*) *Cum exierit spiritus, non revertetur*.

II. hæ saltem a resurrectione aliquos excludunt, ut mulieres, homines præmortuos nativitati, qui scilicet moriuntur in uteris matrum, non baptizatos, & reliquos impios. Mulieres quidem; nam dicit Apostolus omnes, qui resurgent, futuros viros: (*d*) *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: homines præmortuos nativitati; nam cum resurrectio a Christo (*e*) dicatur regeneratio, non est illius capax, qui nondum natus est: non baptizatos autem, quia idem Apostolus ait: (*f*) *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Complantari autem similitudini mortis Christi idem est, ac baptizari explicante eodem Apostolo his verbis: (*g*) *Consepulti sumus cum illo per Baptismum*

(a) *Ench* 84.
(b) *Psalm.* 77.
(c) *Sap.* 16.
(d) *Ephes*, 4.
(e) *Matt.* 19.
(f) *Rom.* 6.
(g) *Ibid. v. antec.*

in mortem. Qui ergo non sunt baptizati, non debent assimilari Christo resurgenti. Adde quod, cum ex Scriptura mors sit pœna originalis, hoc perseverante, ut perseverat in non baptizatis, debet & ipsa mors perseverare, adeoque isti non debent resurgere: reliquos vero impios; nam dicitur animas impiorum in infernum detrusas ad corpus amplius non ascendere: (*a*) *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus*, & infra: (*b*) *Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*: & de illorum corporibus dicitur, quod de sepulchris non sunt amplius exitura: (*c*) *Et sepulchra eorum domus illorum in æternum*. Adde quod Scriptura expresse dicit impios non resurrecturos; de impiis enim hominibus, qui populum Dei afflixerunt, dicitur: (*d*) *Simul obdormierunt, nec resurgent*: & alibi: (*e*) *Non resurgent impii in judicio*: & unus ex septem fratribus Machabæis sic Anthiocum est allocutus: (*f*) *Tibi resurrectio ad vitam non erit*.

III tandem dato, quod admittenda sit aliqua resurrectio, hæc non erit vera & rigorosa, cum diversa sint futura corpora resurgentia ab iis, quæ jam obierunt. Diversitatem autem hanc probat illud Apostoli: (*g*) *Quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum*: & rursus: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, ubi etiam addit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: quo indicatur corpus, quod regnum Dei possidebit, quod scilicet erit beatum, non futurum carnem & sanguinem, adeoque futurum diversum ab

(a) *Job*. 7. (b) *Cap*. 10.
(c) *Psalm*. 43. (d) *Isa*. 48.
(e) *Psal*. 1. (f) 2. *Mac*. 7.
(g) 1. *Cor*. 15.

ab eo, quod nunc est. Adde quod communius Theologi post S. Thomam ex illo Apostoli supra relato: (a) *Donec occurramus omnes &c.* inferunt omnes resurrecturos in statura perfecta, qualis solet esse in adolescentia: quod indicat infantes non esse resurrecturos cum corporibus, quæ antea habuerunt; alias in statura perfecta non resurgerent. Ergo &c.

℟. ad I. spiritum, de quo Psalmus (b) (ut optime explicat Bellarminus), non esse animam hominis, sed vitam, quæ in hoc mundo progreditur a pueritia ad juventutem, & mox ad senectutem, & ab hac non regreditur ad juventutem & pueritiam. Alio loco dicitur quidem impossibilis resurrectio hominis naturaliter, sed asseritur possibilis virtute divina. Patet ex contextu; dicitur enim: *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est, sed tuam manum effugere impossibile est.*

Ad II. ℟. primo loco per illud *in virum perfectum* non denotari sexum virilem, sed tantum perfectionem virtutis: nisi dicere velimus nomine *viri* subintelligi etiam mulieres; nam etiam alibi Scriptura, quæ fœminis quoque conveniunt, tribuit viris, ut cum dicitur: (c) *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, &: (d) *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, &: (e) *Beatus vir, qui timet Dominum*. Hæ autem benedictiones etiam mulieribus conveniunt: Ergo a pari &c Qui autem moriuntur antequam in lucem edantur, possunt dici aliquo modo nati, in uteris scilicet matrum, quo sensu de Chri-

I 6 sto

(a) *Ephes.* 4. (b) *In eund. Psal.*
(c) *Psal.* 11. (d) 31. (e) 111.

sto adhuc in utero Mariæ contento dicitur: (a) *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*, Adde quod, etsi non possent dici nati, possent tamen dici generati, adeoque capaces illius regenerationis, quæ importatur per resurrectionem. Ex loco sequenti eruitur Baptismum esse necessarium, ut similes simus Christo in resurrectione gloriosa, non ut simus utcumque similes in resurrectione. Pœna autem originalis est solum mors actualis, non autem duratio in morte. Quando ergo quis mortem subiit, jam pœnam solvit originali debitam. Cum quo optime stat, quod etiam non dimisso originali possit quis resurgere stante lege a Deo statuta, ut natura humana tota pristinæ integritati vitæ donetur. Quod subditur ex Job nihil evincit; nam si per descensum ad inferos intelligatur æterna damnatio, recte dicitur hominem sic damnatum amplius non ascensurum, quia revera in Inferno nulla est redemptio, sed tunc nihil de resurrectione: si vero intelligatur mors (aliquando in Scripturis illa phrasi denotata), sensus est mortuum non reversurum amplius ad vitam similem illi, qua ante mortem vivebat, scilicet non reversurum in propriam domum, ut rebus sæculi vacet, quomodo prius vacabat. Et sane Job firmissime expectabat carnis finalem resurrectionem; inquit enim: (b) *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*. Dum ergo dicit se non reversurum, non potest intelligi simpliciter de reditu ad vitam. Ergo &c. Nec pariter officit Psalmus; nam illud *in æternum* non denotat rigorosam æternitatem, sed dumtaxat tempus longum, cujus significationis plura habemus exem-

(a) *Matt.* 1. (b) *Cap.* 19.

exempla in Scriptura. Præterea Augustinus & Hieronymus per *sepulchra* intelligunt Infernum, qui utique erit æterna impiorum domus. Hinc auctor Breviarii in Psalmos S. Hieronymo adscripti ait: (a) *Hæc illis erit perpetua habitatio, quia non resurgent, ut habeant vitam æternam, sed ut damnentur in pœna.* Aliis locis innuitur tantum resurrectionem impiorum vix resurrectionis nomen mereri, cum, licet sit reditus ad vitam naturalem, sit tamen nova via ad mortem æternam.

Ad III. ℟. Ideo dictum esse seminari corpus diversum ab eo, quod resurget, quia corpus modo est mortale & passibile, post resurrectionem erit impassibile & immortale (loquitur enim Apostolus de resurrectione gloriosa). Hinc S. Gregorius inquit (*b*): *Hoc insinuat, quod videmus, quia granum cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat.* Corpus autem ideo dicitur *animale* ante resurrectionem, & post resurrectionem *spiritale*, quia in resurrectione gloriosa erit sine passionibus corporeis & inordinato appetitu carnis adversus spiritum. Ita S. Augustinus inquiens (c): *Ideo ait Apostolus: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicuti foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.* (Obiter hìc noto cohærenter ad hæc explicandos Patres aliquos dicentes homines sanctos assumpturos corpora cœlestia, angelica &c., loquuntur enim de corporibus non

(a) *In Psal.* 48.
(b) *Lib.* 14. *Moral. cap.* 54.
(c) *Enchir.* 91.

non secundum naturam, sed secundum qualitates, quia in pluribus imitabuntur qualitates corporum cœlestium, vel qualitates Angelorum, puta in splendore, subtilitate &c.). Caro & sanguis ab Apostolo accipiuntur vel pro carne & sanguine corruptibili & mortali, juxta quod immediate subditur: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*, vel pro operibus carnis & sanguinis juxta id, quod alibi explicat idem Apostolus dicens (a): *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia* &c., *& his similia, quæ prædico vobis . . . quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Poteſt autem verificari etiam infantes in ſtructura perfecta resurrecturos, etsi resurrecturi sint cum corporibus, quæ antea habebant; poteſt enim Deus ita supplere quod deeſt, ut tamen idem moraliter sit corpus, quod resurget, ac quod antea erat. Non enim, cum dicitur resurrectura eadem corpora, id ita ſtricte eſt intelligendum, ut nihil magis, nihil minus sit in corpore poſt resurrectionem, ac fuerit ante, sed solum ita resurrecturum aliquid de corpore antiquo, ut possit dici resurgere idem corpus eo proportionaliter modo, quo dicitur eſſe idem corpus hominis, cum hic eſt lactens, ac cum factus eſt adultus, quamvis multo sit majus in adulto, quam in lactente.

Obj. ex ratione I. Admissa corporum resurrectione, ut a nobis propugnatur, sequeretur unam & eandem futuram carnem plurium hominum resurgentium; fac enim, ut unus homo alium comedat, quod frequenter evenire apud Antropophagos docent Hiſtorici, jam caro hominis A, quæ comeditur ab homine B, eadem eſſet & in homine A, & in homine B illam comedente, utpote

(a) *Gal.* 5.

pote quæ convertitur in substantiam aliti. Ergo &c.

II. Incongruum est, ut resurgat corpus, quale jam erat; antea enim erat tale, ut inserviret functionibus vitalibus, & post resurrectionem non est, cur sit aptum ad tales functiones, cum hæ exerceri non debeant; nec enim post resurrectionem manducabunt homines, bibent &c.

III. Impossibile est partes illas corporis, quæ resolutæ sunt in prima fere elementa, & quæ jam sunt dispersæ, in unum denuo coire ad formandum corpus, quod primo formabant. Ergo &c.

℟. Ad I. carnem in casu juxta Augustinum (a) restituendam primo homini, unde sumpta est, & aliam a Deo supplendam in eo, qui primum comederat, ex illa carne, cujus deperditio famem in illo excitaverat. Major est difficultas de eo antropophago, qui ex antropophagis genitus esset, lacte antropophagæ nutritus, & semper comedisset carnes humanas; in hoc enim omne, quod est, de alieno corpore est: sed tamen omissa possibilitate hujus casus, quem aliqui possibilem negant, ℟. forsan Deum tunc divisurum carnem, & partem uni daturum, partem alteri, & quod reliquum est, aliunde suppleturum eo proportionaliter modo, quo dixi supra Deum facturum circa infantes. Dictum est *forsan Deum tunc divisurum &c.*, modum enim assigno possibilem, præter quem tamen plures alii erunt Deo modi id faciendi, quos nostrum non est assignare.

Ad II. ℟. Non esse incongruum, ut corpus resurgat quale jam erat, licet non debeat amplius omnes functiones vitales exercere; tunc enim humana membra homini ad hoc non tribuentur, sed ad naturæ perfectionem.

Ad

(a) *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 20.*

Ad III. ℟. Unionem partium diſperſarum non eſſe Deo impoſſibilem; ſi enim potuit Deus per creationem efficere, ut eſſent partes, quæ antea non erant, multo magis poterit reunire, quæ erant disjunctæ.

Ad complementum dicendorum circa reſurrectionem addo ad ipſam excitandos mortuos voce tubæ. Hoc docet Scriptura (a): *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna*: & (b) *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti*: quæ loca non eſt, cur litteraliter non intelligamus; ſaltem quatenus excitandus ſit quidam ſonus ſimilis voci tubæ. Hæc autem vox Divina virtute per totum mundum audietur.

ARTICULUS TERTIUS.

Completa generali reſurrectione, quæ tamen citiſſime complebitur, fiet judicium univerſale. Locus hujus judicii a pluribus ſtatuitur vallis Joſaphat, quæ eſt ſita inter Jeruſalem & montem Oliveti, idque ipſi colligunt ex Scriptura, ubi dicitur (c): *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis*: & infra (d): *Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Joſaphat, quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes*. Sunt tamen, qui contendunt nomine vallis Joſaphat intelligi indeterminate locum, in quo Dominus judicaturus eſt.

Judex erit Chriſtus, qui in forma glorioſa apparebit (e): *Videbitis*, inquit ipſe, *Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Judicandi erunt homines ju-

---

(a) *Matt*: 24. (b) 1. *Cor*. 15.
(c) *Joel*. *v*. 3. (d) *Ibid*. *v*. 12.
(e) *Matt*. 26.

judicii forma simplicissima: apparente Judice, apparebunt etiam omnia hominum opera sive bona, sive mala, & quidem ita ut omnibus & singulis sint manifesta.

Juxta hæc opera feret Christus sententias. Prior erit retributoria præmiorum electis, quibus dicet (a): *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Sequitur altera condemnatoria reproborum, quibus inquiet (b): *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

CAPUT TERTIUM.

De fabula Millenariorum.

CUM de iis, quæ ad finem mundi spectant, hic sermo sit, præstat modo rejicere fabulam de millenario Christi terreno regno, quod in fine mundi futurum aliqui olim docuerunt. Notabo itaque 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. assertionem statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. initio Ecclesiæ Cerinthum docuisse, post generalem corporum resurrectionem Christum corporaliter cum electis in terra per mille annos regnaturum. Hoc regnum Christi volebat Cerinthus futurum refertum carnalibus & brutalibus voluptatibus atque deliciis: volebat insuper instaurandam Jerusalem & instaurandos omnes judaicos ritus. Hunc errorem ex parte secuti sunt aliqui Patres, qui millenarium quidem terrestre regnum Christi in fine mundi admiserunt, sed tamen

---

(a) *Matt*. 25. *v*. 34. (b) *Ibid*. *v*. 41.

men carnales in illo non admiserunt voluptates. Inter hos fuit Papias Episcopus Hierapolitanus, Tertullianus, S. Justinus, S. Irenæus, aliique. Papias in hoc regno admittebat voluptates corporeas quidem, sed tamen honestas. Tertullianus vero solas voluptates & delicias spirituales admisit. Hi omnes dicti sunt *Millenarii*, seu greco vocabulo *Chiliastæ*.

Noto 2. errorem hunc non esse confundendum cum errore de dilatione visionis beatificæ, quem in Tractatu de Deo confutavi; licet enim omnes fere millenarii essent in sententia de dilatione visionis beatificæ post ultimi judicii diem, multi tamen fuerunt Patres, qui hanc dilationem defendebant, & millenarium Christi terrestre regnum respuebant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Nullum est futurum in fine mundi millenarium terrestre Christi regnum.*

Prob. ex Scripturis. Christus testatur regnum suum non esse de hoc mundo (a): *Regnum meum non est de hoc mundo*. Cum autem hoc non intelligatur de regno spirituali, quod certe Christo & in hoc mundo competit, debet intelligi quod non sit regnaturus temporaliter. Ergo &c. Rursus de Christo dicitur (b): *Regni ejus non erit finis*: quibus excluditur quodcumque Christi regnum finem habiturum, ut esset regnum millenarium.

Prob. ex sensu communi Patrum & Theologorum, qui a 13. sæculis floruerunt.

Obj. ex Scripturis. I. hæ frequenter docent instaurandam esse Jerusalem usumque sacrificiorum judaicorum reassumendum. At quo tempore?

re?

(a) *Joan.* 18. (b) *Luc.* 1.

re? Non alio sane, nisi tempore millenarii terrestris Christi regni.

II. Christus dixit Beatos manducaturos & bibituros in regno suo (a): *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum vobiscum in regno Patris mei:* rursus (b): *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Cum autem Beati non sint manducaturi & bibituri in regno cœlesti, remanet, ut sit admittendum aliud regnum terrestre, in quo hæc omnia sunt peragenda.

III. Christus discipulis suis promisit centuplum eorum, quæ dimiserant, & quidem promisit illud se daturum in hoc mundo; nam de præmio vitæ æternæ locutus est tamquam de præmio distincto. Nullum autem potest assignari tempus, quo centuplum istud sint accepturi, nisi in millenario Christi regno. Ergo &c.

IV. Hoc Regnum manifeste adstruitur a S. Joanne dicente (c): *Vidi Angelum, . . & apprehendit Draconem . . . & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Jesu . . . & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis . . . Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis, & cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes.* Ergo &c.

(a) *Matt.* 26. (b) *Luc.* 22.
(c) *Apoc.* 20.

℟. Ad I. quæ ſpectant ad inſtaurationem Jeruſalem, & ad uſum ſacrificiorum Moſaicorum reaſſumendum, eſſe metaphorice intelligenda: renovabuntur ſcilicet ſpiritus juſtorum, qui per civitatem Dei deſignantur, reaſſumentur ſacrificia, quia in cœleſti gloria juge laudis ſacrificium Deo offerent ſancti. Ita, demptis millenariis, omnes Patres.

Ad II. ℟. Loca illa pariter eſſe metaphorice intelligenda: & quidem vinum aliquando in Scripturis denotat ſpiritualem lætitiam juxta illud (a): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Dicitur proinde Chriſtus bibiturus cum electis vinum novum in regno ſuo, quia in illo novis & diverſi generis voluptatibus fruentur, ac fruebantur in terra. Manducatio illa ergo & potus, de quibus in adductis locis, ſignificant ſolum lætos ſemper futuros Beatos, quales ſunt qui menſæ aſſident (b); *Non enim*, ut inquit Apoſtolus, *eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto*. Nec obſtat quod, cum Chriſtus primo loco ſumat vinum proprie, illud etiam proprie videatur ſumere ſecundo loco; nam non eſt novum in Scripturis, quod in eodem ſermone vox aliqua ſumatur modo proprie, modo improprie. Ita dicit Chriſtus (c): *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, ubi illud *mortuos* primo ſumitur metaphorice, ſecundo proprie: & alibi dixit (d): *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, ubi aqua primo ſumitur proprie, ſecundo metaphorice. Loca autem adducta ſic metaphorice intellecta poſſunt & debent aptari regno cœleſti. Ergo &c.

Ad

(a) *Pſal.* 35. (b) *Rom.* 4.
(c) *Matt.* 8. (d) *Jo.* 4.

Ad III. ℞. Cum S. Hieronymo nec illud centuplum, quod Christus promisit, esse litteraliter accipiendum; alias qui unam uxorem pro Domino dimisit, centum habiturus esset, quod est absurdum. Debet ergo intelligi de bonis spiritualibus etiam in hac vita retribuendis, quæ pretio suo adeo terrena superant, ut videantur fere centum respectu unius.

Ad IV. ℞. Explicando textum duce Augustino (a). Per *mille annos* denotatur tempus longum indeterminate: & hujus rei habemus exempla plura in Scriptura, quæ numerum millenarium pluries sumit pro numero magno indeterminate, ut cum dicitur (b): *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes*: & cum dicitur (c): *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille*. Per Augustinum ergo mille anni, de quibus in Apocalypsi, denotant tempus, quod fluet a morte Christi usque ad adventum Antichristi.

Hoc tempore Diabolus est veluti ligatus, quia potestas, quam habebat nocendi hominibus, per mortem Christi & propagationem Evangelii est maxime imminuta. Solvetur autem modico tempore, quia paucis illis annis, quibus regnabit Antichristus, ipsi concedetur ulterior potestas nocendi hominibus, quo fiet, ut ex illis plerosque sit tunc decepturus.

Pergit Apostolus: *Et vidi sedes &c.* Hæ sedes & sedentes super eas sunt æterna receptacula, in quæ jam admissæ sunt animæ Sanctorum, quibus datum est judicium hoc sensu, quod proprio, ut ita dicam, suffragio concurrant cum Christo ad decernenda justis præmia, & impiis pœ-

---

(a) *Lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 7.
(b) *Psalm.* 104. (c) *Job.* 5.

pœnas in judiciis particularibus juxta illud (a): *Sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Hæ animæ vivent per totum hoc tempus, quod a morte Christi fluet usque ad Antichristum (subintellige vita beata) & regnabunt cum Christo. Possumus etiam cum S. Augustino per has sedes & sedentes super eas intelligere sedes Præpositorum Ecclesiæ, & ipsos Præpositos, qui judicia exercent in Ecclesia.

Sed *cæteri mortuorum*, idest impii, hac vita beata *non vivent*, *donec consumentur mille anni*, idest intra illud spatium mille annorum; particula enim *donec* non semper in Scripturis denotat terminum, ultra quem res non debeat progredi, sed aliquando etiam denotat terminum, intra quem non debet cessare, etsi postea ultra illum progredi debeat. Ita dicitur (b): *Non revertebatur*, (corvus) *donec siccarentur aquæ super terram*, ubi non denotatur corvum siccatis aquis esse reversum, sed solum non esse reversum, cum adhuc aquæ essent super terram: & de S. Joseph dicitur (c): *Non cognoscebat eam* (Mariam), *donec peperit filium suum primogenitum*, ubi non denotatur Josephum cum Maria congressum fuisse post partum Christi, sed solum non esse congressum antea. Ita in casu.

Subditur: *Hæc est resurrectio prima*, quo nomine venit ipsa vita æterna; cum enim vita temporalis respectu justorum sit potius mors, quam vita juxta illud Apostoli (d): *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ideo, cum ex hac vita ad aliam immortalem transeunt, dicuntur resurgere. Dicitur autem *resurrectio prima* ad differentiam resurrectionis corporum, quæ habebitur in die judicii, & quæ est *resurrectio secunda*.

In

(a) *Matt.* 19. (b) *Gen.* 8.
(c) *Matt.* 1. (d) *Rom.* 7.

In his (qui ita resurrexerunt) *secunda mors non habet potestatem*; nam nomine *secundæ mortis* venit æterna damnatio ex ipsa Apocalypsi, ubi dicitur (a): *Et Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis: hæc est mors secunda:* & vere in Beatis ~~locum non~~ habebit damnatio.

Dicitur postea: *Sed erunt sacerdotes Dei & Christi*. *Sacerdotes* utique, idest principes & honorabiles in aula Dei; hoc enim aliquando venit nomine sacerdotum juxta illud (b): *Ira autem Jairites erat sacerdos David*, idest, ut vertit Paraphrastes Chaldæus, *princeps David*: & aliud (c): *Filii autem David sacerdotes erant*, idest juxta 70. *aulæ Principes* (& sane non poterant esse proprie Sacerdotes, cum non essent ex Tribu Levi, sed ex Tribu Juda). Vel dicuntur Sacerdotes, quia Deo offerunt juge laudis sacrificium: vel tandem quia, ut ait Augustinus (d), *Membra sunt unius sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus, plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium*. Quæ sequuntur patent ex dictis. Hac posita explicatione nullo modo favet textus adductus Millenariis. Ergo &c.

Obj. ex traditione. Sententia de millenario terrestri Christi regno traditioni innititur; nam hoc regnum, saltem prout explicatum est a Patribus, tradidit S. Papias, qui fuit discipulus S. Joannis Evangelistæ, quique testatur se ab illo hoc didicisse. Papiæ alii plures ex antiquioribus adhæserunt, ut dixi. Hìc ergo valet quod inquit Tertullianus (e): *Id est dominicum & verum, quod sit prius traditum*. Ergo &c.

℟. Hìc non haberi veræ traditionis notas, illud enim dicitur haberi per traditionem juxta Vincen-

(a) *Rom.* 7. (b) 2. *Reg.* 10. (c) *ibid. cap.* 8.
(d) *De Civit. Dei lib.* 20. *cap.* 10.
(e) De *præscript. cap.* 31.

centium Lyrinensem (a) *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*. At hoc non verificatur in casu; nam, ut supra dixi, a 13. sæculis constanter omnes contrarium docuerunt, & licet primis Ecclesiæ sæculis aliqui Patres fuerint in hac sententia, alii tamen & quidem multi illam respuerunt: respuit scilicet Cajus, Dionysius Alexandrinus, Origenes, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus saltem retractans primam sententiam huic regno favorabilem, quam prius docuerat, aliique: & S. Justinus quamvis nobis contrarius, ingenue tamen fatetur etiam suo tempore illam fuisse rejectam a pluribus; inquit enim (b): *Confessus sum tibi & antea me quidem & alios plures eadem mecum sentientes arbitrari id, sicut plane scitis futurum* (Regnum scilicet millenarium), *multos vero etiam, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere tibi significavi*. Nec officit auctoritas Papiæ, qui eatenus dicitur hausisse sententiam suam a S. Joanne, quia illam hausit ex Apocalypsi male a se intellecta, ut expresse docet Eusebius (c), ex quo etiam habemus Papiam fuisse virum mediocri ingenio præditum. Nec enim attendendum est, quod modo in quibusdam editionibus Eusebii habetur, Papiam fuisse virum celebrem & in Scripturis peritum, cum hoc Papiæ elogium fuisse Eusebio affictum ostendat Valesius, ex quo non reperiatur in MS. Eusebii codicibus Mazarino, Mediceo, aliisque, nec in latina Eusebii versione, quam edidit Ruffinus. Ergo &c.

DIS-

(a) *In Commonit.*
(b) *Dialog. cum Triphon. post medium.*
(c) *Lib. 5. Hist. cap. 39.*

DISSERTATIO IV.

De ſtatu Animarum a corporibus ſolutarum.

ANimæ a corporibus separatæ ad quatuor classes revocari possunt: primo ad eas, quæ sunt immunes ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu: secundo ad eas, quæ sunt infectæ solo originali: tertio ad eas, quæ sunt infectæ aliquo veniali, vel aliquo reatu pœnæ temporalis detentæ: quarto ad eas, quæ sunt infectæ lethalibus actualibus. De singulis classibus agendum. Sed quoniam multa dicenda sunt circa præmium vel supplicium animabus post mortem retribuenda, agendum primo de judicio particulari, in quo tale præmium, vel talis pœna decernitur. Rursus cum de statu animarum immunium ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu plura dicta sint, ubi agebatur de visione Dei, tractationem de his modo restringam ad honorem, quo Ecclesia tales animas prosequitur. Dissertationis ergo hujus quinque erunt capita. In 1. agam de judicio particulari, in 2. de statu animarum ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu solutarum, ubi de honore, quo Ecclesia illas prosequitur, in 3. de statu animarum solo originali maculatarum, in 4. de statu animarum in gratia constitutarum, sed quæ vel aliquo veniali, vel pænæ temporalis reatu sunt gravatæ, in 5. de statu animarum lethalibus actualibus infectarum.

CAPUT PRIMUM.

De Judicio particulari.

NOtabo hic 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. assertionem statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. *Judicium particulare* dici, quod Deus exercet in morte cujusque circa illam particularem personam, quæ moritur. Hoc judicium dicitur particulare ad differentiam alterius judicii de omnibus simul habendi in fine mundi.

Noto 2. nedum aliquos Hæreticos, sed etiam aliquos antiquos Patres, illos præcipue, qui putabant differri visionem beatificam ad ultimum judicii diem, existimasse non haberi judicium particulare in morte cujusque. Quomodo autem rem explicarent, exponam verbis Lactantii, qui inquit (a): *Nec quisquam putet animas post mortem protinus judicari. Omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tunc quorum fuerit probata justitia, ii præmium immortalitatis accipient, quorum autem peccata & scelera detecta, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recludentur ad certa supplicia destinati.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *In morte uniuscujusque fit illius judicium particulare.*

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur (b): *In fine hominis denudatio operum illius.* Quid est denuda-

(a) *Lib.* 7. *divin. Ins. cap.* 21.
(b) *Eccle.* 11.

datio operum hominis, nisi ipsorum manifestatio? Hæc fit in fine hominis, idest in morte. Ergo &c. Si autem hoc, profertur etiam sententia vel pro illo, vel contra illum; ad quid enim, vel quomodo posset haberi hæc manifestatio sine sententia, cum posita hac manifestatione apertum sit statim hominem futurum æterno vel beatum, vel miserum, quod vel æquivalet sententiæ, vel est ipsa sententia? Et si habetur & manifestatio operum hominis, & sententia de illo, habetur judicium. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Augustinus inquit (a): *Illud, quod rectissime & valde salubriter credit judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari . . . ipse nesciebas*. S. Joannes Damascenus hæc habet (b): *Ajunt viri divinitus illustrati, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libra humana opera probantur.* S. Ephrem Syrus inquit (c): *Beatus quicumque in hora illa emigrationis, quando cum timore atque dolore anima separabitur a corpore, fiduciam reperit; venturi enim sunt Angeli, qui animam a corpore jam separatam accipiant, sistantque ante tribunal immortalis ac tremendi Judicis.*

Prob. ex hodierno communi sensu Theologorum & fidelium ita sentientium.

Prob. ratione. Certum est ex alibi dictis animas justorum plene purgatas statim a morte admitti ad visionem Dei, & animas impiorum statim a morte detrudi ad tartara. Ergo tam isti, quam illi in morte judicantur. Non est autem major ratio pro his, quam pro omnibus. Ergo &c.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. Hæc putat sortem animarum a corporibus solutarum esse adhuc in-

---

(a) *Lib. 2. de Anim. & ejus orig. cap. 4.*
(b) *Orat. de Defunct.* (c) *Lib. de Beat. 20.*

certam, & solum ferendam de illis sententiam in judicio universali; in precibus enim, quas fundit pro defunctis, rogat Deum, *Ut liberet eos de morte æterna in die illa tremenda* (idest in die judicii universalis), *ut eos liberet de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eos tartarus, ne cadant in obscurum &c.* Ergo &c.

℟. Ecclesiam eodem modo pro animabus separatis orare dictis precibus, ac orat tempore adventus, ut veniat Christus. Sicuti ergo, cum orat, ut veniat Christus, non existimat ipsum nondum venisse, sed solum postulat, ut compleatur in animabus fidelium fructus incarnationis illius; sic cum orat, ut eripiantur animæ ab æterna damnatione &c., non existimat illarum sortem adhuc esse incertam, sed solum postulat, ut sententia, qua ad cœlestem gloriam sunt destinatæ, veluti compleatur per hoc, quod a pœnis Purgatorii eripiantur. (pro animabus enim purgantibus tantum orat). Ergo &c.

Obj. ex ratione. Anima simul cum corpore operata est bonum & malum. Ergo debet simul cum corpore judicari: proinde non datur judicium particulare, quo anima sola judicetur.

℟. corpus utique esse animæ socium in operando, sed cum ratio meriti & demeriti sit formaliter ab anima, nil mirum si primo sola anima judicetur judicanda postea in ultima die simul cum corpore.

CAPUT SECUNDUM.

De statu animarum ab omni tum culpa, tum pœnæ reatu immunium, ubi de honore, quo illas Ecclesia prosequitur.

HOnorem, quo Ecclesia has animas ex alibi probatis beatas prosequitur, ad hæc quatuor revoco: ad illarum invocationem, ad illarum cultum, ad cultum Imaginum, & ad cultum reliquiarum ad ipsas pertinentium. Quoniam autem

tem quæ dicam circa honorem hominibus beatis debitum, valent proportionaliter etiam pro Angelis sanctis, ideo ob cohærentiam materiæ agam etiam de honore, quo Ecclesia sanctos Angelos prosequitur: De invocatione ergo Sanctorum 1. dicam, 2. de illorum cultu, 3. de cultu Imaginum, 4. de cultu reliquiarum ad ipsos pertinentium.

ARTICULUS PRIMUS.

Inutile esse, imo impium Sanctos cum Christo regnantes invocare primo docuit Vigilantius 4 sæculo, deinde docuerunt 12. sæculo Petrobruisiani, ac tandem sæculo 16. Lutherus & Calvinus. Dallæus insignis Calvinista concedit invaluisse 4 sæculo usum invocandi Sanctos, sed hunc usum potius appellat abusum, cum tribus primis Ecclesiæ sæculis, ut ipse ait, nulla de invocatione Sanctorum mentio habeatur. Contra hos catholica Ecclesia docet laudabile esse ac utile Sanctos cum Christo regnantes invocare, non quidem ut absolutos dominos beneficiorum, quæ petimus, sed ut advocatos & intercessores nostros apud Deum, quamvis fateantur Theologi talem invocationem non esse cuique ullo Dei vel Ecclesiæ præcepto necessariam. Sit ergo

Assertio. *Laudabile est ac utile Sanctos cum Christo regnantes invocare*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. Et I. ex his constat laudabile esse ac utile hominibus commendare se orationibus aliorum viventium; nam jussit Deus amicis Job, ut ipsius orationibus se commendarent: (a) *Ite ad servum meum Job... Job autem.... orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia*. Apostolus pariter se commendabat orationibus fidelium: (b) *Obsecro vos fratres.... ut adjuvetis me in oratio-*

(a) *Job. ult.* (b) *Rom.* 15.

tionibus vestris pro me ad Deum. Ergo a pari, imo a fortiori laudabile est ac utile se commendare orationibus Sanctorum cum Christo regnantium, cum hi magis illis valeant apud Deum, magisque nos diligant. Præterea ex Scriptura constat Sanctos beatos orare pro viventibus; nam illis concessum est, ut homines gubernent, illisque præsideant simul cum Christo juxta illud: (a) *Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*: & infra: (b) *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in throno ejus*. Præsidentia autem hæc certe est principalior præsidentia misericordiæ, adeoque importans, quod viventes juvent orationibus, ut importat præsidentia Angelorum. Rursus S. Joannes (c) vidit 24. seniores procidisse ante thronum Dei habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, idest orationibus hominum suas preces adjunxisse. Imo Sancti etiam antiqui Testamenti in Lymbo detenti referuntur pro hominibus orasse. Ita refertur visum fuisse Oniam jam mortuum manus protendentem orare pro populo Judæorum, & de Jeremia & ipso mortuo dicentem (d): *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei*. Ergo a fortiori Sancti jam beati, qui (e) *jam de sua immortalitate securi & adhuc sunt de nostra salute solliciti*. Si ergo orant Beati pro viventibus, laudabile est ac utile illos invocare, ut ferventius etiam orent atque efficacius.

II. ex Scriptura constat Deum beneficia elargiri ob merita Sanctorum; dicit enim Deus: (f) *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me*,

---

(a) *Apoc.* 2. (b) *Cap.* 3. (c) *Apoc.* 5.
(d) *Mac. ult.* (e) *Cyprian. de mortalit.*
(f) 4. *Reg.* 19.

me, & propter David servum meum. Hinc frequenter in antiquo Testamento merita Sanctorum interponebantur, ut a Deo beneficia obtinerentur. Ita Moyses, ut Deum Israelitis placaret, dixit (a): *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum*: & Salomon in oratione, quam fudit consecrando templum, ait: (b) *Memento misericordiarum David servi tui*: & tres pueri in fornace Deum sic deprecabantur: (c) *Non auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum*. Si autem illicitum esset, aut vanum interponere merita Sanctorum, nec ea profecto insignes hi viri interposuissent, nec Deus ostendisset se gratas habere eorum orationes, ut facto ostendit; nam oratione Moysis placatus est: post orationem Salomonis emisit de cœlo ignem, qui devoravit victimas: & tres pueros in fornace ab igne defendit. Eadem autem est ratio & meritorum & precum Sanctorum. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. In Chalcedonensi publice invocata est intercessio S. Flaviani Martyris his verbis: *Martyr oret pro nobis*: & in Nicæna II. approbata est epistola Tharasii ad Joannem Presbyterum, in qua Sancti invocantur: rursus in eadem hæc habita sunt verba: (d) *Ergo cum timore Dei omnia faciamus expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ . . . Mariæ, atque Sanctorum Angelorum, & simul omnium Sanctorum*. Sentiebant ergo Patres horum Conciliorum, adeoque sentiebat Ecclesia laudabile esse atque utile Sanctos invocare. Denique Tridentinum vult, (e) ut doceantur fideles *Sanctos*

(a) *Exod.* 32. (b) *Paralip.* 6.
(c) *Daniel.* 3. (d) *Act.* 6. *cap. ult.*
(e) *Sess.* 25.

una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda . . . . ad eorum orationes opem auxiliumque confugere, & eos, qui contra sentiunt, *definit impie sentire*.

Prob. ex Patribus trium priorum sæculorum. Habemus inter cæteros S. Cyprianum & Origenem qui, cum asserant Sanctos orare pro nobis, consequenter videntur asserere eos licite & laudabiliter invocari. S. Cyprianus scribens ad Cornelium R. Pontificem ait (a): *Qui istinc prior nostrum divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio: pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio:* Origenes de Angelis & animabus justis hæc habet: (b) *Sentiunt qui sint digni favore cælestis numinis, quibus non solum ipsi bene volunt, verum etiam dant operam, ut Deum ei servire volentibus concilient, & una nobiscum precantur*: quinimo ipse ita Job precatur: (c) *O beate Job . . . . ora pro nobis miseris*.

His addi possunt posteriores Patres, quos etsi nobis concedant Novatores, ex iis tamen invictum argumentum sumitur contra ipsos; nam si praxim invocandi Sanctos isti non a prioribus accepissent, sed invexissent de novo, quomodo tam facile potuissent in novam sententiam eamque impiam, ut Novatoribus placet, convenire? Convenerunt autem. Ergo &c. Paucos afferre sufficiat. S. Gregorius Nazianzenus ita S. Cyprianum orat:(d) *Tu nos è Cælo benignus aspice, & orationem no-*

(a) *Ep. 57.* (b) *Lib. 8. cont. Cels.*
(c) *Lib. 2. in Job.*
(d) *Orat. in laud. S, Cyprian,*

nostram ac vitam guberna: Chrysostomus ait: (a) *Non solum in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illas adhærescamus, deprecemur eas, oremus ut patronæ nostræ sint. Magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent non viventes duntaxat, sed etiam mortuæ, imo mortuæ multo magis; nunc enim stigmata Christi portant. Hæc porro stigmata monstrantes nihil non Regi persuadere possunt:* S. Hieronymus ita S. Paulam alloquitur: (b) *Vale o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva: Fides & opera tuæ Christo te sociant, præsens quod postulas facilius impetrabis:* S. Augustinus agens de S. Stephano ait: (c) *Commendemus nos orationibus ejus; multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis.*

Quæ contra objiciuntur partim directe impugnant laudabilitatem invocationis Sanctorum, partim utilitatem. Ipse claritatis gratia has duas objectionum classes singillatim exponam. Pro prima igitur classe.

Obj. ex Scripturis. I. invocatio Sanctorum, utpote faciens plures mediatores apud Deum, cedit in injuriam Christi, qui debet esse unicus mediator noster juxta illud: (d) *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.*

II. quod non est objectum fidei, nec potest esse invocationis juxta illud: (e) *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Cum ergo solus Deus sit fidei objectum, solus proinde Deus est invocandus.

℟. ad I. quod, etsi Christus dicatur solus mediator, non excluduntur tamen alii, sicuti,

(a) *Homilia in SS. Berenicen, & Prosdocen.*
(b) *Ep.* 108. *al.* 27. *n.* 33.
(c) *Serm. de Sanctis, qui* 115. *in appendic.* 6. *de S. Stephano.* (d) 1. *Tim.* 2.
(e) *Rom.* 10.

ex quo dicatur in Scripturis: *ſolus Deus verax: nemo bonus niſi ſolus Deus: unus eſt pater noſter: unus eſt magiſter veſter*, non excluduntur alii veraces, alii boni, alii patres, alii magiſtri. Ut ergo illa prædicata eatenus in Scripturis tribuuntur ſoli Deo, quia ipſi ſoli non ſimpliciter, ſed aliquo nobiliori modo conveniunt, ita in caſu; Chriſtus enim eſt unicus mediator non ſimpliciter, ſed ſolum & quatenus ipſe pretium redemptionis pro nobis ſolus ſolvit (quo ſenſu dici unicum mediatorem a D. Paulo patet ex contextu; nam rationem ſubdens, quare Chriſus ſit unicus mediator, ſubjungit: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*), & quatenus ipſe ſolus ita intercedit pro nobis, ut opus non habeat alio interceſſore pro ſe: (a) *Pro quo nullus interpellat*, inquit S. Auguſtinus, *ſed ipſe pro omnibus, hic unus veruſque mediator eſt*. Cum ergo invocando Sanctos, ipſi non fiant mediatores ullo ex dictis modis, nulla fit Chriſto injuria. Adde quod etiam Moyſes dixit ſe mediatorem inter Deum & Iſraelitas (b): *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos*, quod idem repetit Apoſtolus (c). Adde inſuper quod mediatio Sanctorum potius in honorem cedit Chriſti, quam in dedecus, quippe & nos fatemur vim, quam habent pro nobis intercedendi, in meritis tandem ipſius Chriſti fundari: unde Eccleſia, etiam cum aliquid a Deo petit per interceſſionem Sanctorum, tandem orationes abſolvit his verbis: *Per Dominum noſtrum &c.* Adde tandem, quod, ſicuti per hoc, quod homines in hac vita ſe mutuis orationibus commendent, non irrogatur injuria Chriſto, ita a pari in caſu. Hæc autem ultima reſponſio adapta-

(a) *Lib. 2. cont. Parm. cap.* 8.
(b) *Deut.* 5. (c) *Gal.* 3.

ptari proportionaliter potest aliis quoque difficultatibus infra adducendis.

Ad II. ℟. requiri utique ad quamcumque invocationem aliquam fidem, talem scilicet, qua credatur invocantem posse adjuvari ab invocato, secus hic illum non invocaret. Hanc autem habent de Sanctis qui illos invocant. Ergo &c. Alii etiam & recte respondent ibi non esse sermonem de quacumque invocatione, sed de illa tantum, qua Deus invocatur ut Deus, & quæ utique fidem theologicam in Deum requirit.

Obj. ex Patribus. I. Patres præcipue antiquissimi docent nefas esse alium præter Deum invocare.

II. S. Augustinus inquit: (a) *Si* (Joannes) *ita diceret: hæc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris, (sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum) quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum?* & infra; *Si esset mediator Paulus, essent utique & cæteri Coapostoli ejus, . . nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat unus Deus, unus & mediator Dei & hominum*. Ergo &c.

Ad I. ℟. Patres antiquiores, qui vivebant cum maxime vigebat Idololatria, totos fuisse, ut eam funditus evellerent. Solum proinde Deum dicebant orandum. At quo sensu? ad exclusionem scilicet inanium Deorum. Hæc etiam fortasse fuit causa, cur apud illos perraro Sanctorum invocationis fiat mentio; ægre enim illi inducebantur ad consignanda scriptis quæ apud imperitos Gentiles potuissent suspicionem inducere, ne & Christiani plures Deos colerent. Ergo &c.

(a) *Lib. 2. cont. Parmen. cap. 8.*

Ad II, ℞. S. Augustinum asserere nullum esse mediatorem præter Christum, non ut excludat alios utcumque mediatores, qui scilicet pro aliis Deum precentur, sed tantum, ut excludat illos, qui ita orent pro aliis, ut nullus oret pro ipsis. *Homines omnes Christiani*, inquit ibidem S. Doctor, *invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus hic unus verusque mediator est*. Talis porro est Christus solus; licet enim Sancti orent pro nobis, & olim tamen indiguerunt aliis, qui orarent pro illis, & etiam modo indigent, non hoc sensu, ut optime observat Bellarminus, quatenus modo indigeant aliis, qui orent pro eorum salute, sed quatenus indigent alio, scilicet Christo, cujus meritis impetrent aliis beneficia, quæ ipsis petunt, neutrum quorum de Christo verificatur: & hinc ad rem nostram alibi inqnit S, Doctor: (a) *Joannes quid dixit? & si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet aliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, & Præpositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo; nam Apostolus dicit plebi: orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe: orat plebs pro Apostolo: oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent. Caput pro omnibus interpellet*. Pro secunda classe objectionum.

Obj. ex Scripturis. Inutile est Sanctos invocare, si ipsi non cognoscant viventium preces. Non cognoscunt autem; nam de mortuis generatim dicitur: (b) *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles non intelliget:* & alibi: (c) *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil* no-

(a) *Tract. 1. in 1. S. Joann. n.* 8.
(b) *Job. 14.* (c) *Ecclesiast. 9.*

noverunt amplius: rursus hæc a Deo dicta sunt Josiæ: (a) *Colligam te ad Patres tuos .... ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum:* tandem: (b) *Tu es pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Ergo &c.

℟. primo quod etsi Sancti non audirent fidelium preces, nec pro ipsis orarent, si tamen Deus has preces exaudiret, ut de facto exaudit, hoc satis esset, ut esset utilis Sanctorum invocatio.

℟. secundo hoc idem salvari, si Sancti, licet ignorantes in particulari fidelium preces ad ipsos directas, generaliter tamen orarent pro confugientibus ad ipsos.

℟. tertio Sanctos in particulari cognoscere viventium preces: primo enim hoc exigit gubernium, quod in homines ex supra dictis exercent: secundo hoc exigit felicitas, qua apud Deum fruuntur; hæc enim ex alibi visis secum trahit, ut cognoscant quæ ad ipsos peculiariter spectant.

Ad singula ergo loca objecta occurritur, & ad primum quidem dicendo Job ex S. Gregorio (c) loqui de mortuis impiis, non de Sanctis, qui utique in Deo res viventium ad se pertinentes cognoscunt. Ecclesiastes loquitur tantum de cognitione naturali. Josias futura mala populi sui non dicitur ignoraturus, sed non visurus oculis suis, idest dum adhuc viveret. Quod si etiam fuisset ignoraturus, ideo fuisset, quia Deus pro amore, quo illum prosequebatur, noluisset hæc illi manifestare, ne illum contristaret. Hæc autem ratio probat Deum è contrario Sanctis manifestaturum quæ illos lætificant, ut sunt obsequia illis præstita per illorum invocationem. Adde quod Josias tempore malorum, quæ ignorare debe-

---

(a) 4. *Reg.* 22. (b) *Isa.* 63.
(c) *Lib.* 12. *Moral. cap.* 21. *ver.* 18.

bebat, nondum erat beatus. Hoc etiam dici potest de Abrahamo & Jacobo, qui tempore Isaiæ & ipsi nondum erant beati: nisi dicere velimus cum S. Hieronymo adducto Isaiæ loco non esse sermonem de cognitione proprie dicta, sed de cognitione approbationis & dilectionis, quasi diceretur: tu es Pater noster spiritualis: Patres nostri carnales non diligunt nos, quia sumus peccatores, tu vero nos etiam peccatores diligis.

Obj. ex Patribus. I. S. Augustinus docet mortuos nihil scire de rebus viventium; inquit enim: (a) *Si parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverint quid agamus, quidve patiamur? Isaias Propheta dicit .... Abraham nos nescivit & Israel non cognovit nos.* Ergo sentit superfluum esse illos invocare.

II. Chrysostomus docet Deum esse promptiorem ad nos exaudiendos, cum nos ipsi immediate illum oramus, quam cum adhibemus intercessionem aliorum; inquit enim (b): *Si segnes & socordes fuerimus, ne per alios quidem servari poterimus, si autem vigilemus, per nosmetipsos id valebimus imo magis nostra, quam aliorum opera. Mavult quippe Deus gratiam nobis ipsis dare, quam alio pro nobis precante, ut curantes ipsi iram placare, cum fiducia agamus, & resipiscamus. Sic Chananæam miseratus est, sic meretricem salute donavit, sic latronem, nullo interveniente mediatore & patrono.* Ergo &c.

Ad I. præter alias responsiones supra allatas, quæ hic quoque possunt adhiberi ℟. Augustinum ibi contendere non omnes mortuos cognoscere res viventium per hoc, quod ipsis personaliter intersint. Patet ex contextu; hæc enim præmittit: *Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur*

in

(a) *De cura pro mort. cap.* 13.
(b) *Hom.* 5. *in Matt. n.* 4.

in somnis; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret; absit enim, ut facta sit vita feliciore crudelis usque adeo, ut, quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unice, quem nunquam voluit mæstum videre. Dixi Augustinum contendere non omnes mortuos cognoscere res viventium per hoc, quod ipsis personaliter intersint; nam de aliquibus idest de Martyribus dubitavit, & ideo innuit superare suam intelligentiam, quomodo Martyres adjuvent suos clientes an per se, an per ministerium Angelorum, & concludit: (b) *Quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personas Martyrum, definire non audeo, mallem a scientibus ista perquirere.* Cæterum & alios Sanctos fatetur Augustinus posse cognoscere res viventium, & hujus rei tres assignat modos: primo (c) scilicet per relationem eorum, qui ex hac vita ad illos migrant: secundo per ministerium Angelorum: tertio per revelationem Dei.

Ad II. ℟. Chrysostomum non rejicere utilitatem intercessionis Sanctorum, sed solum velle non ita nos debere nostrorum curam in illos projicere, ut ipsi nihil pro nobis agamus. Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex quo statim subdit: *Hæc autem dico, non ut Sanctis non supplicemus, sed ne simus negligentes, neve in socordiam somnumque delapsi aliis, ipsisque solis res nostras committamus:* & alibi: *Quid opus alterius precibus quando ego sum Deo gratus? Ne hoc unquam dixeris o homo: opus est & valde opus est multis precibus:* & infra: *Nec Sancto-*

rum

(a) *Ibid. cap.* 16. (b) *ibid. cap.* 15.

rum preces contemnamus, neque totum in illas conjiciamus. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Si Sancti possent pro nobis intercedere, possent etiam pro se ipsis. Hoc non. Ergo &c.

℟. Sanctos posse etiam sibimetipsis impetrare aliquid accidentale, ut est gaudium, quod resultat ex salute suorum clientum: sed non aliquod substantiale, quale est augmentum gratiæ vel gloriæ, cum hoc repugnet statui termini, in quo sunt. Secus dicendum de viatoribus. Ergo &c. Sed jam de cultu Sanctorum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. hæc tria inter se differre *honorem*, *laudem*, *& cultum* sive *adorationem*. Honor est quæcumque testificatio excellentiæ alterius: laus est hujusmodi testificatio habita verbis: cultus est hujusmodi testificatio conjuncta cum submissione & humiliatione colentis erga eum, qui colitur: unde etiam definitur *exhibitio reverentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur*. Hinc patet posse quidem a Deo laudari & honorari Sanctos, non autem coli seu adorari.

Noto 2. adorationem aliam esse absolutam, aliam respectivam. Prima defertur ob perfectionem propriam adorati, secunda ob perfectionem alienam, ad quam res adorata aliquo modo refertur.

Noto 3. pro diversitate excellentiæ, quæ in rebus inest, diversas quoque statui species adorationis; excellentia enim alia est divina, alia creata, & creata alia naturalis, alia supernaturalis: hinc alius est cultus, qui defertur habenti excellentiam divinam, seu Deo, alius qui defertur creaturæ ob excellentiam naturalem, quo nomine venit etiam dignitas politica, alius qui eidem

---

(a) *Homil. 1. in 1. ad Thess.*

dem defertur ob excellentiam supernaturalem. Prior dicitur cultus *Latriæ*, alius cultus *naturalis* sive *civilis* & *politicus*, tertius dicitur cultus *Duliæ*, nisi creatura, cui defertur, sit specialis dignitatis in ordine supernaturali, ut est Deipara, quo casu dicitur *Hiperdulia*.

Noto 4. nullam de cultu Latriæ & politico esse controversiam; certum enim est apud omnes primum soli Deo, secundum vero etiam creaturis impendi posse. Controversia reducitur ad cultum Duliæ, quem Ecclesia Catholica docet Sanctis deferendum esse contrarium contendentibus aliquibus Hæreticis, nimirum Eunomio & Vigilantio ex antiquis, Luthero & Calvino ex modernis.

Noto tandem cultum, quem Ecclesia vult esse deferendum Sanctis, esse partim *absolutum*, partim *respectivum*. Est absolutus, quia sanctitas, ob quam coluntur, vere est in ipsis: est postea respectivus, quia cum sanctitas ipsorum sit donum Dei, ad ipsum ultimate refertur cultus, qui Sanctis exhibetur. His positis sit

Assertio. *Laudabile est Angelos & Sanctos cum Christo regnantes colere cultu minore divino, majore autem naturali; vel civili & mere politico.*

Prob. ex Scriptura narrante Angelos & Sanctos homines fuisse adoratos. Josue (a) Angelum sibi occurrentem adoravit. Angelum pariter adoravit Balaam (b): Saul (c) adoravit animam Samuelis, & Abdias (d) adoravit Eliam: quibus positis sic. Ex una parte Scriptura hæc recensens nunquam talem cultum reprehendit, imo implicite laudat, cum illum aliquando referat exhibitum a viris doctis & probis, ut maxime fuit

Jo-

(a) *Josue* 5. (b) *Num*. 22.
(c) 1. *Reg*. 28. (d) 3. *Reg*. 18.

Josue: ex alia cultus his non fuit exhibitus ut Diis; nam fuerunt agniti ut creaturæ, nec fuit cultus mere naturalis & politicus; nam Josue adoravit Angelum non præcise ob perfectionem naturalem, alias ex hoc probaretur posse etiam adorari Dæmones, sed ob illius sanctitatem, quod idem valet de Balaamo. Non erat pariter, cur Saul adoraret animam Samuelis ob perfectionem naturalem, cum Saul potius in ordine naturali & politico utpote Rex esset Samuele superior: quod idem dicendum de Abdia, qui Elia privato homine erat naturaliter superior utpote Princeps domus regiæ. Ergo ille cultus fuit supernaturalis. Ergo &c.

Prob. ratione. Deo competit cultus latriæ, quia habet excellentiam divinam: creaturis naturaliter sive politice excellentibus competit cultus naturalis sive politicus. Ergo creaturis habentibus excellentiam minorem quidem divina, sed majorem naturali ac politica utpote supernaturalem, competit cultus divino minor, sed major naturali ac politico. Si hoc, laudabile est Angelos & Sanctos cum Christo regnantes ita colere. Ergo &c.

Videantur etiam quæ infra adducentur ad probandum licitum esse, imo laudabilem cultum imaginum & reliquiarum eorundem Sanctorum; hæc enim probant quoque licitum esse & laudabile Sanctos colere, cum imaginum & reliquiarum cultus sit tandem cultus ipsorum Sanctorum.

Obj. ex Scripturis. I. in his dicitur solum Deum esse adorandum (a): *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: quibus Christus Diabolum ab ipso adorationem poscentem rejecit. Idem repetit Apostolus loquiens (b): *Soli Deo honor & gloria*. Insuper narratur Mardochæum noluis-

(a) *Matt.* 4. (b) 1. *Tim.* 1.

luisse adorare Amanum, quia adoratio soli Deo debetur (a) *Timui*, inquit Mardochæus, *ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quempiam adorarem excepto Deo meo*. Cum autem Aman non exigeret cultum latriæ (non enim Asuero ab ipso poscenti, quomodo honorandus esset quem ipse vellet honorare, persuasit, ut taliter honorando divini tribuerentur honores, puta ut dedicarentur altaria, ut offerrentur sacrificia &c., quamvis ipse existimaret se illum esse, quem Rex honorare volebat), verba Mardochæi indicant illicitum esse quemcumque cultum præter cultum Deo exhibitum.

II. In his prohibetur cultus Angelorum; inquit enim Apostolus (b) *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum*: rursus cum Joannes vellet adorare Angelum, ipse eum prohibuit dicens (c): *Vide, nè feceris: conservus tuus sum ... Deum adora*. Ergo &c.

III. In his reprehenditur cultus hominum etiam Sanctorum; nam narratur Petrum respuisse cultum ipsi exhibitum a Cornelio, & Paulum ac Barnabam Lycaonibus prohibuisse, ne se adorarent. Ergo &c.

℞. Ad I. Deum solum dici adorandum illique soli serviendum adoratione & servitute nobilissima, qualis est servitus & adoratio latriæ. Sane non quamcumque aliam adorationem & servitutem creaturarum ibi rejici patet ex quo Isaac Jacobo benedicens dixerit (d): *Serviant tibi populi, & adorent te tribus .... incurventur ante te filii matris tuæ*. Videantur etiam quæ supra sunt dicta ad primam objectionem contra superiorem assertionem. Cum ergo solus Deus sit adorandus adoratione latriæ, jure relatis verbis Christus repulit

(a) *Esther*. 13. (b) *Coloss*. 2.
(c) *Apoc*. 19. (d) *Gen*. 27.

ſit Diabolum talem ab ipſo cultum exigentem. Ex his patet quid ſit dicendum ad Apoſtolum. Addo conſtare ex eodem alteri præter Deum poſſe convenire honorem & gloriam; nam ipſe ait (a): *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Quod pertinet ad id, quod ſubditur, ſunt qui putant Amanum de facto voluiſſe adorari ut Deum (quomodo adorari volebant Reges Perſarum) ſin minus aliis modis, ſaltem per genuflexionem & inclinationem totius corporis ante illum, quod ſi ſubſitit, patet ratio, ob quam Mardochæus noluit talem illi cultum exhibere. Sed licet etiam non exigeret Aman genuflexionem ut cultum divinum, noluit tamen illam adhibere Mardochæus, vel quia hæc apud Hebræos erat ſignum cultus divini, quod proinde ſi adhibuiſſet ipſe, qui erat Hebræus, viſus fuiſſet Amanum colere ut Deum, vel quia inani timore correptus putavit ſibi non licere, quod de facto licebat. Cæterum cultum inferiorem non recuſavit Mardochæus Amano deferre, ut conſtat ex quo ipſe ita fuerit protestatus (b): *Libenter pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem*. Exemplum ergo Mardochæi inepte hic adducitur.

Ad II. ℟. Apoſtolum ibi monere Coloſſenſes, ne quis illos ſeduceret inani quorundam Philoſophorum veterumque Hæreticorum doctrina, qui indignum Deo putantes, ut rebus his inferioribus attenderet per ſe, dicebant mundum creatum eſſe & gubernari ab Angelis, quos etiam dicti Hæretici faciebant veluti minores Deos, & unicos mediatores noſtros, vel ſaltem Chriſti mediatione ſuperiores. Ideo dicit Apoſtolus: *Nemo vos ſeducat in humilitate*, ideſt ſpecie humilitatis, quaſi ita ſentire de Deo humilitatem præſeferat, & poſtea

(a) *Rom.* 2. (b) *ibid.*

stea subdit: *Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*: quibus innuit ita sentientes male sentire de Christo, per quem Deus & fecit & gubernat mundum. Cum autem nos dicimus colendos Angelos, illos modo jam dicto non consideramus. Ergo &c. Quod si Angelus respuit cultum ipsi exhibitum a Joanne, vel illum respuit, quia Joannes existimabàt ipsum Angelum esse Christum, & ut talem illum adorare volebat (nec mirum; ita enim locutus fuerat Angelus in persona Christi dicendo (a): *Ego sum primus & novissimus . . . & fui mortuus, & ecce sum vivus*, ut Christus ipse videretur unde S. Augustinus inquit (b): *Talis apparuerat Angelus, ut pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*): vel illum respuit in reverentiam humanitatis Christi; observant enim plures Patres Angelos ante incarnationem admisisse cultum ipsis ab hominibus præstitum, post incarnationem autem illum respuisse, præsertim ab Apostolis, qui tantam cum Christo conjunctionem habuerant Utrumvis porro dicatur, non sequitur Angelos sanctos revera non mereri adorationem. Ergo &c.

Ad III. ℟. vel dicendo cum S. Hieronymo Cornelium utpote Gentilem existimasse aliquid divinum esse in Petro, adeoque voluisse cultu divinitatis proprio illum adorare, quam proinde Petrus merito respuit: vel cum Chrysostomo Cornelium voluisse adorare Petrum tantum ut hominem Sanctum, sed Petrum ex modestia hunc cultum quamvis alioquin sibi debitum respuisse: ex quibus patet hoc factum inepte contra nos adduci. Lycaones autem voluerunt adorare Paulum & Barnabam ut Deos; existimarunt enim Paulum esse Jovem, & Barnabam Mercurium, illisque sacrificare conten-

---

(a) *Apoc.* I. (b) *Quæst.* 61. *in Genes.*

tendebant. Ideo Apostoli exclamarunt: *Viri quid hæc facitis? Nos mortales sumus similes vobis homines &c.* Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. Laodicenum hæc habet (a): *Non oportet Christianos relicta Dei Ecclesia abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ vacare, anathema sit, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & accessit ad Idololatriam.* Hinc Theodoretus explicans verba supra relata epistolæ ad Colossenses, postquam dixit antiquitus aliquos errasse existimando legem per Angelos esse datam, subjungit (b): *Proinde Synodus, quæ convenit Laodiceæ ... prohibuit, nè precarentur Angelos, & in hodiernum usque diem Oratoria Sancti Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Ergo &c.

℟. Synodum Laodicenam damnare eundem cultum, quem epistola ad Colossenses, de qua supra, rejecit Apostolus. Sane non quemcumque Angelorum cultum rejici a Concilio Laodiceno, patet ex quo canone præcedente 34. recipit cultum SS. Martyrum, quem etiam usum approbat can. 51. Quare ergo rejiceret quemcumque cultum SS. Angelorum? Præterea objecto canone loquitur de cultu, quo relinquatur Ecclesia & Christus, & qui sit idololatricus. Talis non est cultus a nobis propugnatus. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Ex his plurimi docent solum Deum esse adorandum. Præterea si quis cultus Sanctis competeret, hic esset dulia. At neque hæc Sanctis competit dicente Augustino (c): *Dulia*

(a) *Can.* 35. (b) *In cap. 2. ep. ad Colos.*
(c) *Quæst.* 94. *in Exod.*

lia debetur Deo tanquam Domino, latria vero non nisi Deo tanquam Deo. Tandem etiam dato, quod essent adorandi Angeli, non tamen sunt adorandi homines teste eodem Augustino de Angelis, qui apparuerunt Lot, dicente (a): *Nisi Angeli Dei cognoscerentur, non adoraret Lot in faciam super terram.* Ergo &c.

℟. Quod, cum apud Patres invenitur Deum solum esse adorandum, tunc intelligendi sunt de adoratione latriæ; aliam enim inferiorem adorationem ipsi non respuunt: & hujus rei duo inter alia possunt afferri exempla, unum ex S. Hieronymo, qui dicit (b) nec Martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatum coli posse, & tamen postea inquit (c): *Vale, o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva:* alterum ex S. Augustino, qui dicit (d), religiosum cultum nec Angelis nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli Deo, & tamen alibi inquit (e): *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei.* Recte autem asserit Augustinus duliam Deo ut Domino competere, latriam autem Deo ut Deo, sed cum Sancti & ipsi sint Domini, licet non Dii, poterunt utique esse participes duliæ, licèt latriæ participes esse non possint. Ad aliud, quod subditur, ℟. mentem S. Augustini utique esse, quod, si Angeli non fuissent agniti ut Angeli, tunc non fuissent adorati a Lot; qua enim adoratione illos adorare debuisset, si illos non agnoscebat, nisi ut homines, in quibus nullam excellentiam vel naturalem, vel civilem, vel supernaturalem videbat, ob quam deberent adora-

---

(a) *Lib. 2. de Trin. cap.* 12.
(b) *Ep. ad Riparum quæst.* 109. *ol.* 53.
(c) *In epitaphio Paulæ ep.* 108. *al* 27.
(d) *Lib. de vera Relig. cap.* 55.
(e) *Lib.* 20. *cont. Faust. cap.* 21.

rari? Sed ex hoc non sequitur quod nunquam homines sint adorandi, etsi aliqua ex iis excellentiis in iis appareat.

Ad complementum dicendorum circa cultum Sanctorum præstat hic afferre quæ spectant ad cultum Christi; & ad canonizationem ac beatificationem Sanctorum, quæ maxime ad illorum cultum referuntur.

Agitur hic specialiter de cultu Christi, quia ipse nedum est Deus, sub quo respectu certum est apud omnes ipsi deberi cultum latriæ, sed etiam est homo, sub quo respectu dubitari potest quænam species cultus illi conveniat.

Si ergo Christus consideretur ut homo, distinguendum est; vel enim tunc consideratur humanitas ut suppositata a Persona divina, vel consideratur præscindendo a Persona divina. Si primum, adorari debet latria; nam humanitas sic considerata facit quid divinum cum ipso Verbi supposito, facit scilicet unum Christum, qui est Deus, cum humanitas sic considerata sit humanitas in concreto, adeoque sit tandem hic homo; hic autem homo sit Deus. Sane humanitas sic considerata & Verbum conveniunt in unitate Personæ. Ergo etiam debent convenire in unitate adorationis: ita tamen ut Verbum sit objectum *per se* & *primarium* adorationis latriæ, humanitas vero *secundarium* & *concomitans*. Et hinc a nonnullis dicitur humanitatem Christi potius cum Verbo coadorari, quam simpliciter adorari. Ad rem nostram inquit Concilium V. generale (a): *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Deo Verbo, semotim homini . . aut si quis . . . non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit*. Audiendus etiam Da-

(a) *Can.* 9.

Damascenus inquiens (a): *Unus Christus est Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu Sancto unica adoratione cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes; adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est. Neque tamen hoc agentes creaturæ servimus; non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut Divinitati conjunctam, & quatenus in unam Personam unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur.*

Si vero consideretur humanitas per intellectum præcisa a Persona Verbi, hæc non debet adorari latria; nam sic considerata non habet nisi excellentiam creatam, adorari ergo debet hyperdulia. Præcisio tamen hæc, licet ab Ecclesia non damnata, nisi in sensu Nestorii duas in Christo admittentis Personas, in praxi non est facienda; ut enim inquit Athanasius (b): *Adoraturi non seponimus Verbum a carne.*

Sanctorum canonizatio (sic dicta a canone; nam per eam aliquis describitur in canone, seu catalogo Sanctorum) definiri potest: *Publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, simulque sententia, qua ei decernuntur honores illis debiti, qui cum Christo regnant.* Dicitur *publicum Ecclesiæ testimonium*; non enim est testimonium tantum privati alicujus hominis, sed Ecclesiæ. Dicitur *de vera sanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti*; Ecclesia enim non canonizat nisi mortuos, de quibus constat sanctitas vitæ, perseverantia finalis, & gloria: additur *simulque sententia* &c., nam in canonizatione decernuntur canonizato honores ab Ecclesia deferendi Sanctis jam beatis qui sunt; primo inscribi ca-

(a) *Lib.* 3. *de fid. cap.* 8.
(b) *Ep. ad Adelphium.*

talogo ſanctorum: ſecundo invocari in publicis Eccleſiæ precibus: tertio templa Deo in illorum memoriam dedicari: quarto offerri Sacrificia euchariſtica & laudes, ſive horas canonicas Deo in honorem illorum: quinto celebrari pariter in illorum honorem feſta: ſexto pingi illorum imagines additis ſplendoribus in ſignum gloriæ illorum: ſeptimo illorum reliquias pretioſis thecis includi & publice honorari.

Initio Eccleſiæ omnes fideles etiam viventes indiſtinctim Sancti appellabantur, ut conſtat ex illo: (a) *Domine audivi a multis de viro hoc* (Saulo) *quanta mala fecerit ſanctis tuis in Jeruſalem*: & ex alio: (b) *Salutant vos omnes Sancti*; progreſſu tamen temporis Sancti ſolum ſunt appellati, quos Eccleſiæ judicio & ſancte vixiſſe, & cum perſeverantia obiiſſe conſtabat. Tempore perſecutionum a Notariis & Diaconis ad id delegatis virtutes, miracula, & martyria fidelium deſcribebantur (ex quo orta ſunt martyrologia) & his teſtimoniis nixa Eccleſia ſanctos venerabatur. Deinde cœpit rigoroſius inſtitui examen, ut veri Martyres a falſis diſtinguerentur, qui tamen nedum a RR. Pontificibus pro tota Eccleſia, ſed etiam a particularibus Epiſcopis pro propriis diœceſibus albo Sanctorum adſcribebantur, quod etiam aliquamdiu reſpectu Sanctorum non Martyrum ſervatum eſt.

Ex his patet canonizationem ſupra deſcriptam dividi poſſe in *particularem* & *univerſalem*: prima eſt quæ fit ab aliquo Epiſcopo & Eccleſia particulari pro particulari diœceſi, alia quæ fit a R. Pontifice pro tota Eccleſia.

Canonizationes univerſales ſemper ad ſolum R. Pontificem ſpectarunt; cum enim ipſe ſolus ſit

---

(a) *Act.* 9. (b) 2. *Cor.* 13.

sit Caput Ecclesiæ, ad ipsum solum spectat disponere quæ pertinent ad cultum in tota Ecclesia alicui præstandum. Nec obstat, quod aliqui modo colantur ut Sancti a tota Ecclesia, qui non fuerunt a RR. Pontificibus canonizati, ut sunt plurimi Sancti priorum sæculorum; nam licet non expresse, fuerunt tamen canonizati ab ipsis tacite & implicite, quatenus ipsi ratihabuerunt consuetudinem tunc vigentem, ut alii, præter ipsos, Sanctos canonizarent. Hanc tamen postea consuetudinem sustulerunt moderniores Pontifices.

Ex quo patet facultatem canonizandi non amplius competere Episcopis, aut Conciliis particularibus, quamvis competat Conciliis generalibus prout ipsis præsidet R. Pontifex. Non est tamen vetitum Episcopis inquirere super vita & miraculis alicujus canonizandi, ac super illis processus instituere, qui etiam maxime attenduntur a RR. Pontificibus, quamvis hi non contenti istis processibus conditis ab Episcopis auctoritate ordinaria, subinde consueverint exigere alios processus factos auctoritate apostolica.

Quamvis porro antiquissimus fuerit ritus canonizandi Sanctos, non semper tamen viguit usus illius solemnitatis, quæ modo in Ecclesia adhibetur. Quando autem hæc cœperit, non satis est exploratum. Putant multi probabiliter primam solemnem canonizationem factam esse sæculo 9. rogatu Caroli magni a Leone III., qui præmissis consultationibus Cardinalium, indictis jejuniis, post diligenter explorata gesta & miracula B. Svuiberti, illum inter Missarum solemnia Sanctorum catalogo adscripsit.

R. Pontificem errare non posse in solemni canonizatione Sanctorum tenent fere omnes Catholici contra Novatores; nam alias posset tota Ecclesia decipi in colendo ut Sancto, qui ab ipso proponitur ut colendus. Præterea tot adhibentur a RR. Pontificibus diligentiæ antequam canonizent Sanctos, ut moraliter impossibile sit ipsos decipi, præsertim cum non solum considerentur

testimonia humana de requiſitis in canonizando, ſed etiam conſiderentur miracula, quæ ſunt veluti teſtimonia divina.

Simplex *beatificatio* in hoc differt a canonizatione, quod hæc importet præceptum cultus alicujus hominis per ultimam ſententiam hic & nunc prolatam: illa vero eſt ſolum cultus permiſſio, vel etiam aliquando præceptum conſtitutum per actum directum ad ſententiam definitivam non adhuc prolatam, ſed poſtea proferendam, unde eſt veluti inchoata canonizatio. Ita Benedictus XIV. in opere *De beatificatione & canonizatione Sanctorum*, apud quem plura alia de hac re invenies ſcitu dignisſima. Dicendum modo de cultu imaginum.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto I. idem non eſſe *imaginem*, & *idolum*; imago enim eſt ſimulacrum repræſentans aliquam rationem ut convenientem rei, cui vere convenit, ut ſi pingatur homo, vel equus cum oculis &c.: idolum vero eſt ſimulacrum repræſentans aliquam rationem ut convenientem rei, cui vere non convenit, ut ſi pingantur Mars, Jupiter &c. ut Dii.

Noto 2. inter hoſtes imaginum alios putaſſe etiam illicitum illas efformare: alios putaſſe ſolum licitum illas retinere ad ornatum: alios exiſtimaſſe nefas eſſe illas in templis collocare; omnes vero in hoc conveniſſe, quod non eſſent adorandæ. Hìc ſolum de adoratione fiet ſermo, qua ſtatuta ut licita & laudabili, clarum erit imagines poſſe efformari & retineri, & collocari in templis.

Noto 3. graviſſimum inter cætera bellum contra ſacras imagines 8. ſæculo fuiſſe excitatum. Anno quippe 726. Leo Iſaurus Imperator Conſtantinopolitanus impulſus a quodam Conſtantino Epiſcopo depoſito, & a Judæis, qui ipſi Imperium fuerant vaticinati, Sacrarum imaginum hoſtem ſe aperte profeſſus eſt, illarumque cultores

&

& defensores acerrime exagitavit. Huic successit anno 741. Constantinus Copronymus ejus filius, qui, cum impietatem Patris imitaretur, ab Imperio dejectus est, subrogato ipsi Artabasde Curopalate, qui sacras imagines restituit, sed hoc victo & occiso a Copronymo, qui Imperium denuo adeptus est, imagines rursus sublatæ sunt, atque in earum defensores sævitum; imo congregata est Pseudosynodus Episcoporum Imperatori addictorum neglecto R. Pontifice, & in hac, (quæ ab ipsis VII. universalis est appellata) damnatæ sunt sacræ imagines, ac damnati earum defensores. Anno 775 mortuus est Copronymus, eique successit alius Leo, qui & ipse sacrarum imaginum se hostem præbuit Hoc brevi sublato regnarunt anno 780. Constantinus ejus filius & Irenes Constantini mater, sub quibus celebrata œcumenica VII. Synodo, scilicet Nicæna II., imagines sunt restitutæ & damnati *Iconomachi*, & *Iconoclastæ* (sic enim appellati sunt hostes sacrarum imaginum). Duravit Ecclesiæ quies usque ad annum 814. quo sopitam Iconoclastarum hæresim excitavit Imperator Leo Armenus, cujus exemplum imitati sunt Michael Balbus, & postea Teophilus ejus filius, donec regnante altero Michaele cum Theodora ejus conjuge, anno 841. denuo imagines sunt restitutæ. Eodem tempore Iconoclastarum hæresis etiam Occidentem pervasit; nam Claudius Taurinensis Episcopus se sacrarum imaginum hostem præbuit. Hanc hæresim sæculo 16. denuo amplexi sunt Calvinus, aliique etiam inter Novatores.

Noto 4. aliam hic esse quæstionem de fide, aliam de disciplina: scilicet aliud est quærere, utrum per se licitus sit & laudabilis cultus imaginum, aliud utrum ecclesiasticæ disciplinæ semper conveniat spectatis circumstantiis talem cultum adhibere; non enim semper expedit, quod ex se licitum est ac laudabile. Ita quis dicet non esse per se licitum atque laudabile Missam celebrare? & tamen Ecclesia vetuit, nè Missa celebraretur tempore vespertino, aut pluries in die

ab eodem Sacerdote: quod indicat Ecclesiam, licet sentientem laudabilem ex se esse Missæ celebrationem, existimare tamen id non semper expedire. In quæstione ergo de fide circa cultum imaginum omnes semper Catholici inter se convenerunt, scilicet semper putarunt licitum esse & laudabile colere imagines. In quæstione vero de disciplina non semper inter se convenerunt, sed plures & maxime ex antiquis usum talis cultus improbarunt, putantes non expedire Ecclesiæ saltem antiquitus illum adhibere, nè scilicet Ethnici existimarent a Christianis coli imagines ut Deos, vel nè rudes Christiani sisterent in imaginibus non referendo eorum adorationem ad Prototypa, aliisque similibus de causis. Ubi etiam addo facilius ab aliquibus admissas antiquitus fuisse imagines pictas, quam statuas, quia hæc majorem habebant similitudinem cum Idolis Gentilium.

Noto 5. inter illos ipsos, qui sacras imagines amplectebantur, fuisse aliquando controversum, utrum liceret pingere & adorare imaginem Dei. Ratio dubitandi erat, quod, cum Deus sit spiritualis, non videtur posse imaginibus materialibus repræsentari: quod idem proportionaliter dicendum de Angelis. Cæterum usus repræsentandi per imagines Deum viguit etiam antiquitus apud alios; nam S. Basilius suspendit in templo Columbas repræsentantes Spiritum S., & S. Paulinus permisit depingi in templo S. Felicis imagines Trinitatis. Modo vero omnis quæstio quoad hoc sublata est, postquam Alexander VIII. proscripsit propositionem: (a) *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocari.* Unde de imagine Dei & proportionaliter Angelorum

(a) 25.

lorum eodem modo est loquendum quoad illorum cultum, ac de aliis Sanctorum imaginibus.

Noto 6. cultum, quem Catholici fatentur sacris imaginibus deferendum, esse respectivum, qui scilicet ad prototypa terminetur: de modo autem hujus cultus aliqua dabuntur post assertionem statutam & vindicatam.

Assertio. *Imagines Sanctorum aliquem cultum merentur, sicque laudabile est eas colere.* Est de Fide.

Prob. ex Scriptura. Nomina Sanctorum sunt colenda, ut docet Apostolus: (a) *In nomine Jesu omne genuflectatur*. Ergo etiam Sanctorum imagines, cum non sit major ratio pro his, ac pro illis.

Prob. ex Conciliis. Nicænum II. sic definit: (b) *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum magisterium & Catholicæ traditionem Ecclesiæ . . . . definimus . . . sicut figuram pretiosæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles, ac sanctas imagines proponendas . . . in sanctis Dei Ecclesiis . . . Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium . . . . imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam*. Constantinopolitanum IV. ait (c): *Quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratæ Genitricis illius effigiem, Sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos Sacrarum Litterarum paginæ describunt, ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto*. Hoc idem definit Tridentinum, (d) cujus testimonium utpote satis prolixum hìc non exscribo.

L 4 Prob.

(a) *Philipp.* 2. (b) *Act.* 7. *in definit.*
(c) *Act.* 10. *Can.* 3. (d) *Sess.* 25.

Prob. ex Patribus; nam ex supra allato testimonio Nicæni II. apparet adorationem imaginum esse conformem sensui Patrum.

Prob ratione. In politicis coluntur imagines Principum cultu politico, & qui eas dehonorat, censetur Principem ipsum dehonorare. Ergo a pari debent coli cultu supernaturali imagines Sanctorum, & qui eas dehonorat, Sanctos ipsos dehonorare censendus est.

Obj. ex Scripturis illud (a): *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles*. Ergo prohibitum est colere imagines.

℟. vel omnem usum imaginum fuisse prohibitum Hebræis utpote nimis ad idololatriam proclivibus, ita tamen ut hoc præceptum simul cum lege Mosaica fuerit abrogatum; vel tantum prohiberi imagines falsorum numinum; nam prius dicitur; *Non habebis Deos alienos coram me*, statim subditur; *Non facies &c.* Priora autem verba esse posteriorum explicativa docet S. Augustinus inquiens; (b) *Illud, ubi dictum est; non erunt tibi Dii alii præter me, apparet hujus rei diligentiorem executionem esse in iis, quæ subjecta sunt; quo enim pertinet: non facis tibi Idolum, neque ullum simulacrum ..... non adorabis ea, neque servies illis, nisi ad id, quod dictum est; non erunt tibi Dii alii præter me?* Non autem per nos imagines coluntur ut Dii. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. I. Illiberitanum hæc habet; (c) *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, nè, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*.

II.

(a) *Exod.* 20. (b) *Quest.* 71. *in Exod.*
(c) *Can.* 36.

II. Francofordiense anno 794. celebratum hæc habet; (a) *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitium renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

III. Conventus Parisiensis jussu Ludovici Pii congregatus anno 824. eadem ferme repetit. Ergo &c.

℟ ad I. plures canonis afferri expositiones; prima est ibi prohiberi non quascumque imagines, sed solum pictas. Ratio autem, quare hæ solæ fuerint prohibitæ, est, quia tempore persecutionum fidelibus necesse erat fugiendo secum asportare res sacras, nè ludibrio Gentilium expositæ remanerent. Si autem imagines fuissent in parietibus depictæ, hoc non potuisset fieri, secus si secus: secunda est id esse prohibitum, nè tractu temporis crustæ a parietibus decidentes imagines ipsas deformarent. His adde quæ supra in quarto notando allata sunt.

Ad II. respondent aliqui Synodum, quam perstringunt Patres Francofordienses, non esse Nicænam II., sed conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines celèbratum. Verum hæc responsio non subsistit; nam Francofordienses perstringunt Synodum, quæ statuerat cultum imaginum, non quæ illum damnaverat. Alii respondent damnari a Francofordiensibus non Nicænam II., sed aliam Synodum postea habitam Constantinopoli a Catholicis pro imaginibus, in qua nimio zelo abrepti statuerint pro iisdem

 cul-

(a) *Can.* 2.

cultum etiam superstitiosum. Hæc secunda responsio primo aspectu satis probabilis apparet: Francofordienses enim damnant Synodum, quam dicunt Constantinopolitanam. Non ergo damnant Nicænam; qui enim credibile est ipsos nescisse Synodum generalem pro sacris imaginibus fuisse non Constantinopoli, sed Nicææ celebratam? Sed cum hujus secundæ Synodi pro sacris imaginibus celebratæ nullum vestigium in historiis illorum temporum occurrat, & cum aliunde clare pateat Francofordienses damnare Synodum, quam Græci VII. generalem appellabant, hæc autem nulla alia sit nisi Nicæna II., ideo neque hæc responsio videtur subsistere. Probabilior videtur responsio illorum, qui dicunt Francofordienses damnasse non simpliciter cultum imaginum, sed superstitionem, quam errore facti statutam existimabant in Nicæna II.

Pro qua responsione illustranda noto ad Synodum Nicænam fere solos Græcos convenisse, eamque tempore Concilii Francofordiensis nondum fuisse solemniter confirmatam a Summis Pontificibus. Noto etiam acta Nicænæ Synodi fuisse e Græco in Latinum infideliter translata; nam ubi refertur Constantinum Cypri Episcopum dixisse: *Ego consentio suscipiens & amplectens sanctas & venerabiles imagines, atque adorationem, quæ fit secundum latriam, soli Trinitati impendo*, Latinus interpres ita reddiderat; *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto*. Noto tandem apud Græcos tunc introductum fuisse usum, ut sacræ imagines colerentur luminaribus, thurificationibus, deosculationibus, capitis inflexionibus, aliisque id genus, quæ apud Gallos non adhibebantur nisi ad colendum Deum, erga quem solum ipsi etiam adhibebant nomen *adorationis*. Hoc posito cum Galli in Francofordiensi congregati nondum viderent Synodum Nicænam a Summis Pontificibus solemniter confirmatam, cum existimarent propter infidelem translationem e-

xem-

xemplarium in illa statutum fuisse, ut imagines colerentur, quomodo colitur Deus, & cum scirent Græcos circa imagines adhibere ea signa externa, quæ ipsi erga solum Deum adhibebant, cum tandem audirent definitam in Nicæna adorationem imaginum, quod adorationis vocabulum ipsi erga solum Deum adhibebant; errore facti putarunt statutum fuisse in Nicæna cultum superstitiosum, præsertim cum tunc circumferrentur libri Carolini sic dicti, quia conscripti vel a Carolo magno, vel jussu illius, in quibus totus est Auctor, ut ostendat cultum a Græcis in Nicæna statutum erga sacras imagines esse superstitiosum modo jam dicto, ac proinde eliminandum. Cultum ergo tantum hunc falso putatum superstitiosum reprobarunt Patres Francofordienses. Quod enim non reprobaverint cultum simpliciter, ex eo patet, quod Adrianus Summus Pontifex, qui vivebat tempore Concilii Francofordiensis, quique plurima gesserat pro cultu imaginum, nunquam legatur Patres hujus Concilii reprehendisse, quod certe fecisset, si ipsi omnem cultum a sacris imaginibus abjecissent.

Nec contra hanc responsionem facit, quod Concilium a Francfordiensibus reprobatum appelletur Costantinopolitanum, non Nicænum; nam vel mendum ibi est, & pro *Constantinopolitanum* legendum *Nicænum*, ut habet auctor librorum Carolinorum, vel appellatum fuit Constantinopolitanum, quia celebratum fuerat in ditione Imperii Constantinopolitani, in qua erat Nicæa.

Quod si neque hæc responsio arrideat, accipe quam tradunt Sirmondus aliique, videlicet Gallos illius temporis & illorum Concilia errasse, quæ ideo deserere debemus, & œcumenicæ Sinodo Nicænæ II., ac aliis subsequentibus adhærere.

Ad III. patet responsio ex dictis.

Obj. ex Patribus I. S. Irenæus exprobat Gnosticis, quod (a) *Imagines quasdam quidem depictas,*

(a) *Lib.* I. *cap.* 24.

ctas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus, & has coronant.

II. Origenes respondens Celso, qui Christianos adorantes Christum cruci fixum æquabat Gentilibus mortuos homines adorantibus, ait: (a) *Hos omnes immerito nobiscum conferri declarabimus, nam istis, quos enumeravit, templa & simulacra posita sunt a suis populis. Nos vero non exhibemus Deo tales honores.*

III. S. Epiphanius (b) reprehendit Collyridianos, qui statuam Deiparæ adorabant. Præterea ipse narrat se in Palestinam profectum, cum venisset ad vicum dictum (c) *Anablatha, invenisse velum pendens in foribus Ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens Imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam... Cum ergo,* subdit, *hoc vidissem, in Ecclesiam Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent.*

IV. S. Hieronymus ad illa verba trium puerorum: *Notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream . . . non adoramus,* subdit: (d) *Sive statuam . . . sive imaginem auream . . . voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent . . . . & notanda proprietas, Deos coli imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit.*

V. S. Augustinus adorantes imagines vocat turbas imperitorum; inquit enim: (e) *Nolite consectari turbas imperitorum . . . Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores.*

VI.

(a) *Lib. 3. contr. Celsum.*
(b) *Lib. 3. Tom. 2. heres. 79.*
(c) *Ep. ad Jo. Hieros.*
(d) *In cap, 3. Daniel.*
(e) *Lib. 1. de morib. Eccles. cap. 34.*

VI. S. Gregorius Magnus ſcribens Sereno Maſſilienſi Epiſcopo, qui ſacras imagines fregerat, & ejecerat, ait; (a) *Quia eas adorari vetuiſſes, omnino laudavimus, fregiſſe vero reprehendimus.* Ergo &c.

℞. Ad I Gnoſticos reprehendi ſolum ex quo colerent imaginem Chriſti cum imaginibus Gentilium, & cultu Gentilitatem redolente, ut patet ex iis, quæ immediate ſubdit Irenæus: *Et proponunt eas cum imaginibus mundi Philoſophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut Gentes faciunt.*

Ad II. ℞. Origenem ſolum negare templa & ſimulacra erigi Deo colendo more Gentilium, qui proprios Deos in templis & ſimulacris veluti incantatione detentos exiſtimabant. Patet ex contextu; nam poſtquam dixit: *Nos non exhibemus Deo tales honores*, ſubdit; *Utpote magis congruos Dæmonibus hoc illove loco conſecratis, ut quemque aut ipſi occupaverunt, aut myſteriis quibusdam incantati habitare coguntur.* Et ſane ſi ex hoc teſtimonio colligeretur illicitum eſſe uſum imaginum, colligeretur etiam illicitum eſſe uſum templorum, quod nemo dixerit.

Ad III. ℞. merito S. Epiphanium reprehendiſſe Collyridianos, non quia ſimpliciter ſtatuam Deiparæ adorabant, ſed quia ipſam Deiparam adorabant ut Deam. Ad aliud operoſior eſt reſponſio. Putant aliqui vel totam epiſtolam, vel ſaltem partem illam, quæ objecta eſt, fuiſſe S. Epiphanio ſuppoſitam, quod deducunt tum ex S. Joanne Damaſceno, qui de hoc dubitans ait: (b) *Quod ſi dixeris virum admirabilem Epiphanium aperte imagines improbaſſe; primum id fortaſſe eſſe falſum & fictum reſpondebimus, eique, ut a mul-*

(a) *Lib.* II. *cap.* 13. *al.* 9. *ad Serenum.*
(b) *Orat.* I. *pro ſacr. imag.*

multis fieri consuevit, orationem ab alio compositam fuisse attributam: tum ex quo hoc factum non inveniatur relatum ab Iconoclastis in patrocinium propriæ sententiæ: tum ex quo S. Gregorius Magnus reprehendens Serenum, ut infra uberius explicabitur, eo quod fregisset imagines, inquit: *Dic frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti?* qua ratione non potuisset loqui Gregorius, si subsisteret factum Epiphanii. Alii factum concedunt, & respondent Epiphanium ita se gessisse, quia existimabat expedire disciplinæ Ecclesiæ illius temporis, ut non adhiberentur imagines ob periculum superstitionis, quod periculum a Scriptura vetatur. Alii factum itidem concedentes dicunt scissum fuisse velum, quia imago erat deformis, adeoque potius quam venerationem, risum excitabat, quod probant ex quo Epiphanius dicat ibi fuisse *imaginem Christi vel Sancti cujusdam*. Cl. Pater Trombelli aliam addit responsionem, & est consuevisse aliquos antiquitus suspendere vela in Ecclesiis, ut ostenderent apud illos esse dominium talium Ecclesiarum. Cum ergo tale velum vidisset Epiphanius, ut qui existimabat esse contra auctoritatem Scripturarum, quod templa essent sub alicujus dominatione, quæ nulli debent esse subjecta, illud scidit: unde juxta hanc explicationem verba illa: *Cum vidissem in Ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem*, non indicant esse contra auctoritatem Scripturarum usum imaginum, sed tantum esse contra talem auctoritatem, quod penderent vela alicujus dominium in Ecclesiam ostendentia. Omnes istæ responsiones sunt probabiles. quod si tandem nullo modo defendi posset S. Epiphanium non stetisse contra imagines, cum aliis respondeatur ipsum in hoc errasse, adeoque deserendum esse; ut enim inquit Damascenus: (a) *Quod a pau-*

(a) *Loc. cit.*

paucis & raro fit, vim legis in Ecclesia non habet; nam ut Gregorio Theologo placet, una hirundo non facit ver, nec unius sententia tanti roboris fuerit, ut universæ Ecclesiæ traditionem possit evertere.

Ad IV. ℟. S. Hieronymum solum contendere non esse adorandas cultu latriæ statuas Imperatorum, ut noluerunt tres pueri adorare statuam Nabuchodonosor. Hinc postquam dixit non esse adorandam statuam, aut imaginem, subdit; *Ergo Judices & Principes sæculi, qui Imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo.*

Ad V. ℟. S. Augustinum illos solum damnare, qui more Gentilium defunctis parentabant, imaginesque ad eorum sepulcra depositas, aut domi asservatas honore indebito prosequebantur. Sane S. Doctor non quemcumque honorem sepulcris delatum reprobat; nam commendat usum Ecclesiæ honorandi Martyrum sepulcra (a): ex quo infertur ipsum, cum dicit imperitos adoratores sepulcrorum, loqui tantum de adoratoribus superstitiosis. Ergo a pari, cum vocat imperitos adoratores imaginum, loquitur solum de adoratoribus superstitiosis.

Ad VI. ℟. S. Gregorium laudare quidem, quod imagines non propter se adorentur & cultu incompetenti, qualis ab aliquibus tunc imaginibus deferebatur, non vero quod nullo modo adorentur. Sane si quemlibet imaginum cultum rejecisset Gregorius, rejecisset etiam cultum Sanctorum; nam ait: (b) *Si quis imagines facere voluerit, minime prohibe: adorari vero imagines modis omnibus veta. Sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione*

rei

(a) *Lib. 6. Confess. cap. 2.*
(b) *Ibid.*

rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. Ex quibus etiam verbis suspicio ingeritur, ne Gregorius prohibeat solum modum cultus imaginum, ne scilicet fiant prostrationes ante ipsas, quæ juxta disciplinam illorum temporum debebant solum adhiberi respectu Dei. Mens ipsius Gregorii apertius patet ex quo ipse alibi cultui sacrarum imaginum aperte favet; nam ad Januarium (a) scribens occasione cujusdam Christiani, qui imprudenti zelo invaserat Synagogam Judæorum, atque illic imaginem B. M. Virginis & crucem collocaverat, jubet, ut Synagoga Judæis restituatur: *Sublata exinde cum ea, qua dignum est, veneratione imagine atque Cruce*: & scribens ad Secundinum, qui ab ipso postulaverat imaginem Christi, inquit (b): *Scio quidem, quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Si sacræ imagines essent adorandæ, esset etiam adorandus homo, qui est imago Dei. Hoc non. Ergo &c.

℟. Posse utique & hominem absolute loquendo ob id adorari, sed non adoratur: primo quia communiter non solet considerari ut imago Dei: secundo quia adest periculum, ne homo ipse nimium in superbiam pronus infletur existimans sibi absolute tales honores deferri.

Hic ad meliorem dictorum intelligentiam aliqua sunt addenda circa conditionem cultus imaginibus præstandi.

Dixi

(a) *Lib.* 9. *ep.* 6. *al.* 5.
(b) *Lib.* 9. *ep.* 52. *al.* 54.

Dixi jam ſupra cultum hunc eſſe reſpectivum. Sed hoc tripliciter poteſt intelligi: primo ut ſolum exemplar ſit id, quod colitur, imago vero ſit id tantum, quo exemplar colitur: ſecundo ut & exemplar & imago ſimul ſint id, quod colitur, & quidem eodem cultu, niſi quod unum abſolute, alterum reſpective colitur: tertio ut exemplar & imago ſimul ſint id, quod colitur, ſed tamen imago colatur cultu diverſi generis & inferiori illi, quo colitur exemplar. In adoratione ergo ex. gr. imaginis Chriſti juxta primum modum non adoratur imago, ſed ſolum Chriſtus per imaginem: juxta ſecundum adoratur eodem cultu latriæ & Chriſtus & imago, niſi quod cultus Chriſti eſt abſolutus, imaginis reſpectivus: juxta tertium adoratur quidem Chriſtus & imago, ſed cultus Chriſti eſt latriæ, non vero cultus imaginis. His poſitis

Dico primo non ſolum prototypa imaginibus adorari, ſed etiam ipſas imagines; hoc enim ſuadent locutiones Conciliorum & Patrum dicentium ſimpliciter imagines ipſas adorari.

Dico ſecundo nedum eſſe diverſum cultum, qui imaginibus exhibetur, ac qui exhibetur exemplaribus, quatenus prior eſt reſpectivus, alter abſolutus, ſed etiam quatenus prior in linea cultus reſpectivi minor eſt, quam alter in linea abſoluti; nam ſi eſſent pares, imagines Dei eſſent adorandæ cultu latriæ. Hoc non; nam Concilia & Patres ab adoratione latriæ excludunt quemcumque alium præter Deum. Præterea eodem cultu adoranda eſt imago Chriſti ex Synodo VII. (a), & VIII. (b), quo adoranda ſunt ſacra vaſa & libri Evangeliorum. Atqui iſta non adorantur adoratione latriæ. Ergo &c. Rurſus ſicuti regius Legatus, licet Regem repræſentet, & honoretur propter Regem, non tamen honoratur cultu reſpectivo pari in

(a) *Act.* 7. (b) *Act. ultim.*

in linea respectivi cultui absoluto in linea absoluti, quo honoratur Rex; ita a pari in casu. Tandem imago, ut imago est, opponitur exemplari, & est illo inferior; nam majus certe est esse exemplar, quam esse illius imaginem. Ergo non debet imago coli eodem cultu etiam respectivo, quo colitur exemplar. Ergo &c.

Cultus ergo, quo honorantur imagines, est, ut inquit Bellarminus, cultus quidam imperfectus, qui solum analogice, reductive, & secundum quid pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari, sicut imago est ipsum exemplar solum analogice, reductive, & secundum quid, quatenus ipsum repræsentat. Hinc si quando dicitur collocari spes ex. gr. in cruce Christi, si quando ab ipsa cruce dicuntur expectari beneficia, ut cum Ecclesia canit: *O crux ave spes unica ... piis adauge gratiam, reisque dele crimina*, quibus crux videtur coli latria; tunc imago sumitur pro ipso exemplari, & cultus precesque ad ipsum immediate exemplar diriguntur. Imo juxta hanc explicationem fortasse possent conciliari duæ supra allatæ posteriores sententiæ.

Quod dictum est de conditione cultus imaginum, dicatur proportionaliter circa conditionem cultus reliquiarum, de quo infra.

Aliquid etiam addatur circa cultum crucis Christi consideratæ quatenus est imago.

Crux itaque Christi dupliciter considerari potest; primo ut repræsentat Christum ab ea pendentem: secundo ut fuit nobilitata contactu corporis ipsius. Primo modo habet rationem imaginis, & repræsentat Christum ob formam, quam habet: quod verificatur de omnibus crucibus sive sculptis, sive pictis, sive per manum in aere efformatis: secundo modo habet rationem reliquiæ, quæ ratio non convenit nisi illi individuali ligno, in quo Christus mortuus est, illi autem convenit quæcumque sit illius forma. De cultu crucis primo modo inspectæ hic agitur; nam de cultu crucis inspectæ secundo modo agetur infra ubi de cultu reliquiarum.

Quoad

Quoad crucem igitur inspectam primo modo, licet primis Ecclesiæ sæculis consueverint Christiani illam in aere efformare, ut constat ex Tertulliano dicente (a): *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestimentum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*; fatendum tamen vel ipsam non fuisse publice adoratam (fortasse quia ob usum illius tunc vigentem occidendi per ipsam reos nimis esset Gentilibus despicabilis), vel saltem non extare sufficientia monumenta id ostendentia. At postquam Constantinus Magnus Labarum construxit, vexillum scilicet, in quo crux erat depicta, quod exercitibus suis præire jussit, ac eandem crucem & militum clypeis & vestibus & nummis insculpi voluit, prohibuitque, ne deinceps ad reorum supplicium adhiberetur, cœperunt fideles crucem etiam publice adorare, adeo ut constans semper deinceps fuerit in Ecclesia ejus adoratio, quod usque adeo verum est, ut ne ipsi quidem veteres Iconoclastæ renuerent cultum cruci exhibere.

At objiciunt Novatores. Cum crux Christo attulerit dolorem, diligentibus Christum potius est odibilis, quam amabilis, ut filiis est odibile patibulum, in quo ipsorum pater mortuus est. Præterea si omnes cruces essent adorandæ ob relationem, quam habent ad passionem Christi, essent etiam adorandæ omnes lanceæ, omnes spongiæ, omnia sepulcra; nam hæc eodem modo ad Christi passionem habent relationem. Hoc non. Ergo &c.

℟. Quod, licet crux Christo attulerit dolorem & mortem, attulit tamen etiam lætitiam & gloriam ob Diabolum devictum & genus humanum re-

(a) *De Coron. milit. cap. 3.*

redemptum, quæ quidem gloria & lætitia tanta fuerunt, ut priorem ignominiam & dolorem penitus absorbuerint: unde diverso modo se habuit crux ad Christum, ac aliud patibulum respectu patris alicujus in eo morientis; nam in hoc postremo casu qui in eo suspenditur, ex propria culpa & invitus suspenditur, & ex hac suspensione nihil nisi pœnam & infamiam sibi & propinquis acquirit. Secus contingit respectu crucis Christi. Ergo &c. Neque ex hoc, quod adorandæ sint omnes cruces, sequitur adorandas omnes lanceas, omnes spongias &c., nam crux ex una parte nullum nunc habet usum prophanum, ex alia communiter intelligitur ut nobis repræsentet Christum crucifixum. quod de aliis supradictis non verificatur. Ergo &c.

Quonam autem genere adorationis sit adoranda crux Christi patet ex supradictis. Tandem de cultu reliquiarum.

ARTICULUS QUARTUS.

Noto I. nomine *Reliquiarum* venire cadavera, ossa, & cineres Sanctorum, nec non illa, quæ ipsos tetigerunt (subintellige nisi aliunde appareat indecorum illa ut reliquias Sanctorum considerare & venerari.)

Noto 2. fere omnes illos, qui sacrarum imaginum aut adorationis Sanctorum hostes sunt, esse etiam hostes sacrarum reliquiarum.

Noto 3. in hac quoque controversia distinguendam esse quæstionem de fide a quæstione de disciplina, rursus quæstionem esse de cultu reliquiarum respectivo.

Assertio. *Reliquiæ Sanctorum cultum aliquem religiosum merentur, adeoque laudabile est eas sic colere*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura. Ex hac constat Deum per reliquias patrasse miracula; nam, cum Elisæus (a) pal-

(a) 4. *Reg. cap.* 2.

pallio Eliæ percussisset aquas Jordanis, illæ divisæ sunt, ac ipsi transitum permiserunt: rursus cum projectum esset cadaver in sepulcrum Elisæi (*a*), & tetigisset ossa Prophetæ, illud revixit; rursus narratur Hæmorrhoissam (*b*) tactu vestis Christi sanatam esse, umbra Petri (*c*) sanatos infirmos, & per sudaria & semicinctia ejusdem depulsos esse languores, & Dæmones è corporibus ejectos. Si autem Deus ita reliquias Sanctorum honorat, quis dicet non debere a nobis eas cultu religioso honorari & adorari?

Prob. ex Conciliis & I. ex Nicæno II., quod dicit (*d*): *Salvator noster Christus fontes salutares Sanctorum reliquias nobis reliquit*. II. ex Tridentino, quod docet: (*e*) *Affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari .... damnandos esse, prout jampridem eos damnavit. & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Prob. ex praxi Ecclesiæ. Testatur Ecclesia Smyrnensis, quod Judæi occiso S. Polycarpo suaserunt Tyranno, nè corpus S. Martyris fidelibus concederet, (*f*) *Nè forte*, ut ajebant, *relicto Crucifixo hunc deinceps colere inciperent*. Ex hoc autem timore quamvis inani colligitur fuisse praxim illorum temporum reliquias colere: & de facto infra dicitur ossa S. Polycarpi a fidelibus esse collecta ac sepulta, & statutum, ut ad illius sepulcrum festum Martyris illius celebraretur. Præterea testatur Eusebius (*g*) non solum a fidelibus sui temporis, sed etiam ab antiquioribus magna reverentia fuisse habitam cathedram S. Ja-

---

(a) *Ibid. cap.* 13.
(b) *Matt.* 9.
(c) *Act.* 5. & 19.
(d) *Act.* 3.
(e) *Sess.* 25.
(f) *Ep. ejusdem Eccl. de Mart. S. Polycarpi.*
(g) *Lib.* 7. *hist. cap.* 19.

S. Jacobi Apostoli. Innumera alia possent ex recentioribus Scriptoribus & Patribus adduci testimonia & exempla cultus sacrarum reliquiarum, quæ brevitatis studio omitto apud Controversistas legenda. Hoc solum adverto, quod cum ipsis Calvinistis fatentibus 4. sæculo ita usus vigeret colendi reliquias, ut Infideles Christianis hunc cultum exprobrarent, dicendum profecto illum non esse illicitum aut vanum, cum non sit verisimile doctissimos Patres, qui 4. sæculo floruerunt, permisisse, ut illorum temporibus introduceretur in Ecclesia ritus aut vanus, aut illicitus: imo cum ipsi illum adhibuerint, atque approbaverint, dicendum quoque illum esse pium atque laudabilem.

Obj ex Scripturis. (a) I. Deus occultavit sepulcrum Moysis. Nolebat ergo, ut Hebræi illius reliquias venerarentur.

II. Christus reprehendit eos, qui ædificabant monumenta Prophetarum; inquit enim (b) *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum.* Reprehendit ergo cultum reliquiarum.

℟. ad I. id factum esse ob periculum, ne populus Judaicus nimis ad Idololatriam proclivis corpus Moysis ut Dei adoraret. Hoc autem periculum non viget in nostro casu. Ergo &c.

Ad II. ℟. Christum non reprehendere Judæos, quod ædificarent monumenta Prophetis, sed quod illa ædificantes simularent se alienos a sceleribus patrum suorum, qui Prophetas occiderant, cum tamen non essent alieni; jam enim animo volvebant occisionem maximi prophetæ Christi. En explicatio textus apud Matthæum; (c) *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis: si fuissemus in diebus patrum no-*

(a) *Deut. ult.* (b) *Luc.* 11.
(c) *Matt.* 23.

nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Propbetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.

Obj. ex Conciliis. Illiberitanum prohibet cultum reliquiarum; nam prohibet, ne cerei accendantur ante corpora Sanctorum: (a) *Cereos*, inquit, *placuit in cœmeterio non incendi; inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt*. Ergo &c.

℟. primo per aliquos Concilium prohibere, ne id fiat tempore celebrationis divinorum officiorum, & cum tumultu; tunc enim inquietantur spiritus Episcoporum & Clericorum divina officia canentium. ℟. Secundo per alios prohiberi, ne cerei accendantur, ut illos accendebant Gentiles ad sepulcra suorum mortuorum, quibus & lumina deferebant & epulas; nolebat enim Ecclesia, ut ritus aliquis licet per se licitus adhiberetur, qui posset Ethnicis occasionem præbere calumniandi fideles, quasi idem præstarent, quod ipsi præstabant. Hinc ille ritus Sanctis displicebat, quod indicatur per illud *inquietare spiritus Sanctorum*. Sed cessante illo periculo, cessavit & prohibitio. Sane aliud est simpliciter colere reliquias, aliud illas tali modo colere: prius ad fidem spectat, aliud ad disciplinam pro varietate circumstantiarum variabilem. Etiam S. Hieronymus non videtur aliquando approbasse accensionem cereorum ad sepulcra Martyrum, & tamen reliquias esse venerandas expresse propugnavit (b): *Honoramus*, inquit ipse, *reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus*: & infra (c): *Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa* (mortuorum) *polluunt contingentes, quomodo Eliseus mortuus mortuum suscitavit?* Ergo &c.

Obj.

(a) *Can.* 34.
(b) *Epist.* 109. *al.* 53. *ad Riparium.*
(c) *ibidem paul. post.*

Obj. ex ratione. I. non est licitus cultus obnoxius superstitioni. Talis est cultus reliquiarum; multæ enim reliquiæ falsæ adorantur pro veris. Ergo &c.

II. Si essent adoranda, quæ contigerunt corpora Sanctorum, jam esset adoranda Deipara ut reliquia Christi, cum tetigerit corpus Christi, esset etiam adoranda & asina, quæ eum in Hierusalem portavit, & labia Judæ, quæ eum deosculata sunt, & manus, quæ alapam ei dedit &c. Hoc non. Ergo &c.

℞. ad I. hic non defendi cultum singularum reliquiarum, quæ aliquando in Ecclesia propositæ sunt colendæ, sed solum illarum, quæ veræ reliquiæ sunt. Quod si aliquando falsæ reliquiæ propositæ sunt, tunc illarum cultus fuit superstitiosus tantum materialiter & per accidens, & exhibitus fuit contra intentionem Ecclesiæ, quæ proinde in Lateranensi IV. sancivit magnam adhibendam esse curam, ut solum probatæ reliquiæ adorationi exponerentur. Ex hoc etiam fit, quod nunc sit moraliter certum reliquias non esse superstitiosas, ob diligentiam scilicet, quam Ecclesia modo adhibet.

Ad II. ℞. Mariam absolute loquendo coli posse ut reliquiam Christi. Cæterum cum ipsa sit capax adorationis absolutæ, proinde consuevit Ecclesia eam hac potius adoratione adorare, quam pure respectiva, qualis est quæ reliquiis tribuitur. Ad id, quod sequitur, ℞. quod, licet contactus Christi sit sufficiens causa, cur ea, quæ Christum contigerunt, adorentur, ea tamen non debent adorari, si aliunde adsit ratio non adorandi. Adest autem in casu; nam, ut patet, indecens est & ridiculum, ut adoretur asina, Labia Judæ & manus illius, qui alapam Christo inflixit, non debent adorari, quia, cum sint partes hominum impiorum, si adorarentur, viderentur adorari ipsi homines impii, quod est absurdum. Ergo &c.

Ex his patet adorationem quoque esse deferendam illi individuali cruci, in qua mortuus

Est

est Christus, cum hæc ob contactum corporis ejusdem habeat rationem reliquiæ. Et de facto, postquam hæc a S. Elena fuit inventa, semper fuit a fidelibus adorata.

Nec contra hunc cultum reponantur quæ supra sunt adducta ex paritate asinæ, & manus crucifixorum &c.; nam, cum ex una parte indecorum non sit adorare crucem, cum ex alia crux ipsa sit per se quid innoxium, imo sit altare, super quod Christus sacrificium pretiosissimæ vitæ suæ consummavit, patet maximam inter adducta, & crucem disparitatem esse quoad psæsens caput.

CAPUT TERTIUM.

De statu animarum solo originali maculatarum.

NOtabo hic 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. afferam rationes tam negantium, quam asserentium has animas plecti pœna ignis.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. animas, quæ solo originali maculantur, reduci ad animas infantium decedentium sine Baptismo; adulti enim, si cum originali moriuntur, moriuntur etiam cum aliquo actuali.

Noto 2. fuisse errorem Pelagii, quod hæ animæ excluderentur quidem a regno cœlorum ob illam Domini sententiam (a): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S., non potest introire in regnum Dei,* sed tamen extra tale regnum fruerentur vita æterna & quadam beatitudine. Hunc errorem hic ex professo non refellam, cum fundetur in alio jam supra refutato, quod scilicet non detur peccatum originale.

 No-

(a) *Jo. 3.*

Noto 3. aliquos ex Novatoribus admittentibus cæteroquin originale, aſseruisse ita per Christum reparatam esse humanam naturam, ut etiam sine Baptismate possit pervenire ad regnum cœlorum, quod alii de solis filiis fidelium dixerunt, alii de filiis etiam infidelium. Figmentum istud ex iis, quæ alibi dicentur circa necessitatem Baptismatis, satis refelletur.

Noto 4. pœnam reproborum in alia vita aliam esse damni, aliam sensus. Illa consiſtit in perpetua privatione visionis Dei, hæc in cruciatu ignis &c. Apud omnes Catholicos certum est pueros cum originali decedentes pœna damni puniendos. Quoad pœnam vero sensus multiplex est apud ipsos Catholicos sententia. Prima est Catharini, Pighii, & aliorum docentium pueros, de quibus, hìc nedum pœna ignis non puniendos, sed quadam beatitudine naturali fruituros consistente in contemplatione & amore Dei naturali: imo post ultimi judicii diem eosdem hujus mundi futuros habitatores tanquam terrestris Paradisi; differt autem hæc a sententia Pelagii, quod ille faciebat privationem beatitudinis supernaturalis non esse pœnam, cum nullam per illum supponeret culpam, è contra Catharinus & asseclæ volunt esse pœnam: secunda est Gregorii Ariminensis, Norisii, & Augustinianorum communiter docentium nedum mœrore de amissione beatitudinis, sed etiam pœna ignis hos parvulos esse puniendos: tertia est S. Thomæ, Scoti, & aliorum communior docentium naturalem quidem beatitudinem parvulis non concedendam, cæterum illos nec igne, nec mœrore ob amissionem beatitudinis esse plectendos: quarta est Abulensis & Bellarmini docentium parvulos igne quidem non puniendos, aliquem tamen mœrorem de amissione beatitudinis percepturos.

Noto 5. primam ex recitatis sententiis fere communiter rejici, tum quia nullum beatitudinis naturalis pro parvulis apparet fundamentum vel ex Scriptura, vel ex Patribus, vel ex ratione, tum quia difficile videtur, ut Deum naturaliter hi.

hi parvuli diligant, quando habitualiter ab illo in ordine supernaturali sunt aversi utpote existentes in lethali. Quoad secundam vero & tertiam sententiam placet nihil definire, sed in re valde implexa solum afferre hinc inde rationes. De quarta sententia in fine capitis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qui ergo negant parvulos solo originali infectos plecti pœna ignis nituntur I. Scripturis; nam Job. maledicens diei nativitatis suæ & optans se periisse in utero matris (quo casu decessisset cum solo originali) ait: (a) *Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem*. Non ergo tunc ignis æterni pœnam subiisset. Rursus in judicio finali, ubi pœna ignis decernetur reprobis, sola actualia assignantur, ut illius causa; nam dicit Christus: (b) *Discedite a me maledicti in ignem æternum...... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi potum &c.* Cohærenter ad quæ alibi dicitur homines judicando secundum opera ipsorum, quod importat ipsos, cum subibunt sententiam condemnatoriam ad pœnas inferni, eam subituros ex illorum tantum peccatis actualibus. Sane Apostolus ait: (c) *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum:* & in Apocalypsi: (d) *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum*. Et hinc docent plures, ubi in Scripturis fit mentio de judicio, sermonem tan-

---

(a) *Job.* 3. (b) *Matt.* 25.
(c) 2. *Cor.* 5. (d) *Apoc.* 20.

tum esse de judicio adultorum. Nec etiam desunt qui hæc Scripturarum loca intelligunt de judicio illorum tantum, qui sunt in Ecclesia, cum judicandi comparentur ovibus & hædis pertinentibus ad idem ovile, frumento & zizaniis pertinentibus ad eandem aream, piscibus bonis & malis pertinentibus ad eadem retia: quo posito hæc loca non referentur ad parvulos originali maculatos, cum hi non sint in Ecclesia. Tandem pœna sensibilis (qualis est pœna ignis) correspondet solum delectationi actuali in peccando perceptæ juxta illud: (a) *Quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Hanc delectationem parvuli non perceperunt. Ergo &c.

Respondent Auctores sententiæ contrariæ Job adductis verbis loqui de requie tantum a miseriis hujus vitæ, de qua eadem requie loquitur infra, cum de impiis ait: (b) *Ibi* (in sepulcris) *impii cessaverunt a tumultu, & ibi requieverunt fessi robore*. Ut ergo per hanc impiorum requiem non excludit ab impiis cruciatus alterius vitæ, ita a pari in casu. Addunt hoc argumentum nimis probare, cum evincat decedentes cum solo originali nulla pœna nec damni puniri, quod est absurdum. Nec hos Auctores movent verba a Christo dicenda in ultimo judicio; nam licet his adducantur ut causa sententiæ condemnatoriæ ad ignem peccata actualia, species tamen ibi ponitur, inquiunt ipsi, pro genere, idest per peccata actualia denotantur generaliter peccata, quibus cum sint etiam parvuli infecti, eidem sententiæ sunt obnoxii. Sane, inquiunt, licet ibi sermo sit de sola duritie in pauperes, debent tamen intelligi alia etiam peccata diversa, ut sunt blasphemia, infidelitas, desperatio &c. Ergo a pari licet ibi

(a) *Apoc.* 18. (b) *ibid.*

ibi sermo sit de solis peccatis actualibus, debet tamen subintelligi etiam originale. Rursus etsi parvuli non habeant actualia, ipsis tamen aptatur prima [illegible]ntiæ pars: *Discedite a me maledicti.* Cur ergo non etiam secunda? Rursus parvulis mundatis quidem ab originali, sed præmortuis usui rationis, qui proinde bona opera actualia non gesserunt, aptatur altera sententia: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, licet hæc ibi assignetur ratio: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere &c.* Ergo a pari &c. Tandem parvuli originali infecti erunt a sinistris. Atqui omnes, qui a sinistris erunt, obnoxii sunt sententiæ condemnatoriæ dicente Matthæo: *Tunc dicet his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Ergo &c.

Ad loca Apostoli & Apocalypsis respondent originale esse cuique proprium, unde est opus cujusque, & malum ab unoquoque patratum, licet non per propriam, sed per alienam voluntatem, consequenter in utraque & Apostoli & Apocalypsis sententia comprehensum.

Addunt pariter alia Scripturarum loca, ex quibus constat parvulos originali infectos ad pœnam ignis damnandos. Ita Joannes Baptista ait: (a) *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: & de Christo ait: (b) *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam*, & *congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inestinguibili*: & ipse Christus narrata parabola illius, qui bonum semen seminavit in agro suo, cui inimicus miscuit zizania, inquit: (c) *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad combu-*

(a) *Matt.* 3. (b) *ibid.*
(c) *Matt.* 13.

burendum, triticum autem congregate in horreum: & narrata alia parabola sagenæ pisçes tum bonos, tum malos congregantis subdit: (a) *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis*: & cum de judicio finali loquitur, inquit: (b) *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; & statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris ..... Tunc dicet his, qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum*: & in Apocalypsi dicitur: (c) *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*: quibus positis ita argumentantur. Parvuli isti non fecerunt fructus bonos, sunt paleæ, zizania, pisces mali & hædi, non sunt scripti in libro vitæ. Ergo ad ignem damnandi.

Ex his colligunt non solos adultos esse judicandos, sed etiam parvulos, adeoque & ipsos subituros sententiam ipsis convenientem, quæ respectu infectorum originali non poterit esse, nisi condemnatoria ad ignem. Sane; inquiunt, in Evangelio dicitur: (d) *Congregabuntur ante eum* (Christum) *omnes Gentes*. Ergo etiam parvuli: & in testimonio Apocalypsis supra recitato dicitur: *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni*. Quinam autem veniunt nomine *pusillorum* nisi parvuli? Addunt testimonium Augustini dicentis: (e) *Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*, ubi etiam parvulos in classe judicandorum ponit, ut sunt in classe redemptorum a Christo.

Ex iisdem momentis colligunt non judicandos illos tantum, qui fuerunt in Ecclesia: præcipue cum, si hoc subsisteret, dicendum esset non judican-

(a) *Ibid.* (b) *Matt.* 25.
(c) *Apoc.* 20. (d) *Matt* 25.
(e) *In Psalm.* 95.

candos infideles adultos, quod male sonaret. Nec eos movet, quod judicandi sub quibusdam figuris exprimantur, quæ videntur denotare pertinentes ad Ecclesiam; nam licet hæ figuræ possint adaptari pertinentibus ad Ecclesiam, possunt tamen, imo debent ex supra allatis adaptari etiam reliquis omnibus hominibus: præcipue cum Christus explicans parabolam de agro, in quo creverunt triticum & zizania, dicat expresse hunc agrum esse (a) *mundum*, adeoque per triticum & zizania non solum exprimat pertinentes ad Ecclesiam, sed etiam pertinentes ad totum mundum, adeoque omnes homines.

Ad locum vero postremum respondent primo stare utique, quod determinatæ, ut sic dicam, quantitati delectationis actualis in peccando perceptæ respondeat determinata quantitas pœnæ sensibilis, etsi hæc pœna respondeat etiam peccato non actuali: quomodo etsi judex ita damnet furem: *quantum hic damni intulit aliis, tantum lædatur & ipse vel in corpore, vel in bonis fortunæ*, non sequitur non esse ita in corpore, vel in bonis fortunæ lædendum, qui non quidem furatus est, sed alia crimina patravit, puta adulterii, blasphemiæ, apostasiæ a fide &c. Respondent secundo etiam parvulos se glorificasse, & in deliciis fuisse non quidem propria, sed aliena voluntate.

Asserunt II. defensores benignæ sententiæ auctoritatem Innocentii III. (vel IV. ut placet Cl. Berti) dicentis (b): *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus*: ubi, cum constituat oppositionem inter pœnam originalis & pœnam actualis, hancque faciat consistere in cruciatu gehennæ, aliam consequenter non faciet in illa consistere.

(a) *Matt.* 13.
(b) *Cap.* Majores *de Baptismo*.

Respondent assertores sententiæ contrariæ Pontificem docere quidem cruciatum gehennæ esse pœnam actualis, sed non docere esse pœnam illius tantum: unde sicuti, cum dicit cruciatum gehennæ esse pœnam actualis, non excludit ab hac pœna carentiam visionis Dei, ita, cum dicit pœnam originalis esse carentiam visionis Dei, ab hac pœna non excludit cruciatum gehennæ. Oppositionem autem inter unam pœnam & alteram aliqui explicant per hoc, quod pœna damni quamvis conveniens etiam actuali peculiariter approprietur originali; pœna vero sensus, quamvis cæteroquin conveniens etiam originali, peculiariter approprietur actuali. Nec desunt qui Glossæ inhærentes respondent verba adducta non fuisse ab Innocentio, sed ab imperito secretario conscripta. Quod ut ostendant, advertunt Pontificem antecedenter docuisse pueros esse baptizandos ante usum rationis, quia *originale, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti: actuale vero, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur*. Objectioni autem, quare pariter non baptizentur amentes & dormientes, ut in iis deleatur originale remanentibus actualibus, respondet primo peccata non dimitti ex parte, sed ex toto: alia postea affertur responsio per verba supra in objectione adducta: *pœna originalis &c.* tum subditur: *Unde, si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompossibilia minime patiuntur, imo sibi mutuo adversantur*. Dicunt ergo isti: secunda hæc ratio manifeste est falsa; quis enim nesciat decedenti cum actualibus, licet ab originali mundatus sit, deberi carentiam visionis Dei, quod tamen adductis verbis videtur negari? Non ergo hæc a Pontifice, sed ab alio invecta sunt.

Afferunt III. auctores benignæ sententiæ testimonia Patrum. In primis Gregorius Nazianzenus tres distinguit classes hominum decedentium sine baptismo: primam eorum, qui baptisma contempse-

pserunt: secundam eorum, qui non quidem contempserunt, sed ex negligentia omiserunt: tertiam eorum, qui citra propriam culpam sine illo decesserunt, quales sunt infantes: postea subdit (a) *Existimo futurum, ut primi quidem cum aliorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas subeant: alii autem pœnas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi pravitate, quam stultitia a Baptismo aberrarint: postremi denique nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur, utpote qui, licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.* Si autem igne cruciarentur parvuli, non posset Nazianzenus asserere illos non affici suppliciis. S. Gregorius Nissenus ait (b): *Immatura mors infantium neque in doloribus ac mæstitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit, neque in pari ipsum & eadem conditione ac sorte versari cum iis, qui per omnem virtutem in hac vita purgati sunt*: S. Ambrosius de his pueris ait (c): *Habeant illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem*: S. Bernardus cruciatum inferni assignat peccatis commissis propria voluntate, inquiens (d): *Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit; in quem enim ignis ille deseviet, nisi in propriam voluntatem?*

S. Augustinus aliquando sane anceps videtur fuisse circa pœnas parvulorum, ut cum dicit (e): *Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio*: & cum quærenti quinam locus

(a) *Orat. in S. Baptism.*
(b) *Orat. de Infant.*
(c) *Lib. 2. de Abrah. cap. ult.*
(d) *Sermon. 3. in Resurrect.*
(e) *Ep. ol. 28. nunc 166. cap. 6.*

futurus sit parvulis in judicio, utpote qui nec inter bonos computandi sunt, quia bonum non egerunt, nec inter malos, quia nihil peccaverunt, respondet (a) *Non metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium*. Sed alibi expresse benignæ sententiæ favet; nam de his parvulis ait (b) *Non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret*: & paulo post: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale .... in damnatione omnium levissima futuros? quæ qualis & quanta erit quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, melius expediret, quam ut ibi essent*. Sane si Augustinus asserere non vult melius fuisse his parvulis non nasci, quam esse ubi sunt, censet eos pœna sensus non plecti, cum evidens sit, cruciato pœna tam damni quam sensus quamvis mitissima melius esse nunquam extitisse, quam sic cruciari. Rursus illud Evangelii (c): *Ibunt in ambustionem æternam* vult dictum esse *non de omnibus*, sed de *aliquibus* tantum *sinistris*, quod, cum non possit verificari de adultis, remanet ut verificetur de parvulis. Tandem clarissime de iisdem parvulis (d): *Hæc illis sola pœna est, non esse in patria*.

His addunt auctoritatem SS. Thomæ & Bonaventuræ benignam sententiam defendentium, quos fere omnes Theologi a 6. sæculis secuti sunt.

Respondent assertores sententiæ contrariæ Nazianzenum negare postremos afficiendos supplicio ob omissionem baptismi, quia scilicet illum non suspiciendo non peccarunt (ut ob talem omissio-

nem

(a) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 23.
(b) *Lib.* 5. *contr. Julian. cap.* 11.
(c) *Tract.* 19. *in Jo. n.* 18.
(d) *Serm.* 294. *ol.* 14. *de bapt. parvul. cap.* 6.

nem afficientur primi & secundi, respectu quorum hæc omissio est peccaminosa), sed non negare illos afficiendos supplicio ob alia peccata, quæ habeant in anima. Unde sicuti, si hi sint adulti, & habeant actualia (posse enim in hac classe etiam adultos comprehendi, patet ex verbis S. Doctoris eandem classem ita exprimentis; *Alii nec accipere quidem possunt vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus & violentum aliquem casum, quo efficitur, ut ne cupientibus quidem baptismum consequi liceat*) supplicio his debito afficientur, ita proportionaliter parvuli supplicio debito originali. Ad Nyssenum respondent illum vel dubitanter locutum fuisse, cum hanc quæstionem dicat difficilem ac perplexam, vel, cum totus sit laudata oratione, ut ostendat parem non futuram conditionem infantium præmorientium usui rationis, & adultorum post eundem usum morientium, id tantum indicare parem non futuram horum infantium peccatorum pœnam, ac adultorum. Ad Ambrosium respondent suspicari PP. Benedictinos, ne aliqua hic sint ab Hæreticis intrusa; cum enim supra absolute docuisset parvulos non baptizatos excludi a regno cœlorum, inverisimile est de hoc postea dubitasse. Sed etiam hoc omisso respondent Ambrosium non asserere hos parvulos habere immunitatem a pœnis, sed id tantum omittere (non enim dicit *habent*, sed *habeant*), quo tamen non obstante non sequitur, ut habeant gloriam. Bernardus, pergunt, loquitur ad adultos in quos (cum supponatur illis dimissum originale) non poterit ignis sævire nisi ob peccata actualia. Addunt S. Doctorem nomine *propriæ voluntatis* ibi intelligere illam, quæ non ad Deum, aut ad proximum refertur, sed ad se ipsam, quo sensu parvuli in Adamo peccantes propria voluntate peccaverunt.

Quod vero spectat ad Augustinum, respondent ipsum primo loco non dubitare de pœnis infantium in alia vita & de illarum modo, sed solum asserere se nescire, quomodo hæ pœnæ concilientur cum sententia Hieronymi circa originem ani-

animæ; adducta enim epistola ipsum consulit circa hanc originem, & cum hic asseruisset animam immediate creari a Deo, S. Augustinus huic sententiæ opponit, quod ea admissa nesciat quomodo explicentur pœnæ, quas parvuli subeunt ob originale: *Non solum eas pœnas dico* (sunt verba, quæ immediate subdit S. Doctor) *quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianæ gratiæ Sacramento, sed eas ipsas, quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus, quam exempla deficient*. Ut ergo, cum dicit se nescire respondere difficultati circa pœnas infantium in hac vita, non dubitat de illarum existentia, ita nec dubitat de existentia pœnarum alterius vitæ, cum idem circa has dicit.

Ad locum sequentem respondent multipliciter: & primo S. Augustinum (a) alibi testari se nihil tunc dixisse de damnatione parvulorum Baptismo præmorientium: alibi (b) etiam testari se tunc non dubitasse de pœnis parvulorum, ac si etiam dubitasset, postea dubium deposuisse. Secundo respondent S. Doctorem loqui in suppositione facta a Manichæis, quod hi parvuli nihil boni egerint, nihilque peccaverint, & in eadem suppositione adstruere sententiam mediam inter præmium ac supplicium. Cum porro illam suppositionem tunc quidem omittat Augustinus, sed non concedat (imo illam solum omittat ut possibilem), infinitis enim in locis docet parvulos habere peccatum; hinc neque concedit prætensam illam sententiam mediam, aut de illa dubitat.

Non autem, pergunt, Augustinus renuit asserere melius fuisse parvulis non nasci, quam illa pœna plecti, qua de facto plectuntur, quia pu-

(a) *Ep. adduct. ol.* 23. *nunc* 166. *n.* 20.
(b) *De don. persever. cap.* 12.

putet illos pœna sensus non plecti, sed quia dictum illud (a) *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* non de quibuslibet peccatoribus dictum putet a Christo, sed tantum de scelestissimis & impiissimis, ut ipse immediate subjungit, inter quos non sunt parvuli etsi originali maculati: secundo quia cum ipse sentiret hos parvulos plecti pœna sensus mitissima, (subintellige non absolute, sed respective ad pœnas decedentium cum actualibus) non putabat de illis verificari, quod melius illis fuisset non nasci, cum juxta ipsius sententiam etiam miseris, saltem nisi sint in summa miseria, melius sit esse miserum, quam nullo modo esse, quod alibi docet inquiens (b): *Si quis dixerit: non esse, quam miserum me esse, mallem, respondebo, mentiris; nam & nunc miser es, nec ob aliud mori non vis, nisi ut sis. Ita cum miser nolis esse, esse vis tamen.*

Duo reliqua loca ex Augustino ita explicant, ut in primo illud *de quibusdam sinistris* non referat ad partem tantum illorum, qui erunt a sinistris, sed ad partem tantum judicandorum, ad illam scilicet, quæ erit a sinistris, ita ut sensus sit, damnationem ad pœnam ignis de quibusdam tantum hominibus verificandam, idest de sinistris; in secundo vero non propriam, sed Pelagianorum sententiam referat, qui parvulos nulli pœnæ sensibili volentes subjectos, utpote nullo peccato per ipsos maculatos, eos tantum volebant exules a patria cœlesti: *Videris tibi*, inquit ibidem S. Doctor Pelagianum alloquens, *misericors, quia non aufers ei* (parvulo) *vitam, damnas tamen quem separas a regno cœlorum:*

da-

(a) *Matt.* 26.
(b) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 6.

damnas, non eum percutis, sed in exilium mittis; nam & qui exulant vivunt, si sani sunt, in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est non esse in patria: ex quibus postea infert Augustinus existentiam originalis ita respondendo: *Si amatur patria, magna pœna: si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna... Sed si, quod vis, parva sit pœna, & ista parva magna est, si culpa nulla est. Hic defende justitiam Dei: quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum omnino invenitur peccatum?*

Auctoritati vero recentiorum Scholasticorum respondent fatendo quidem majorem illorum partem stare pro sententia benigna, sed advertunt multos etiam stare pro contraria, & quod majus est, volunt hanc fere communiter traditam a Patribus præsertim Latinis, qui post hæresim Pelagianam scripserunt. Quod ut ostendant

Adducunt I. S. Augustinum, qui ait (a): *Venturus Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est dextram & sinistram: sinistris dicturus: ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, dextris dicturus: venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Hac regnum nominat, hac cum Diabolo damnationem: nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes*: & paucis interjectis: *Qui non in dextra, procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, proculdubio in igne æterno:* & infra: *Ecce exposuit tibi, quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne æterno*: rursus alibi (b): *Si non eruitur e potestate tenebrarum, &*

(a) *Serm. 294. al. 14. de baptism. parvul. cap. 3.*
(b) *Lib. 3. ep. imperfect. contr. Julian. n. 199.*

& illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non ſinitur? Et ne dicatur parvulos ituros quidem in ignem æternum, ſed ibi non arſuros, addunt locum alium S. Doctoris, ubi ait (a): *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt dicentes ignem ęternum dictum, non ipſam pœnam æternam ... cum & hoc prævidens Dominus .. . ſententiam ſuam concluſerit ita dicens: ſic ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis*: rurſus (b): *Eorum, qui non pertinent ad iſtam civitatem Dei, erit miſeria ſempiterna, quæ etiam ſecunda mors dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda eſt, quæ a Dei vita aliena erit, nec corpus, quod æternis cruciatibus ſubjacebit:* & alibi: (c) *Abſit, ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto non regenerati ſi moriantur parvuli, tranſeant in mortem ſecundam*. Mortem hanc ſecundam alibi explicat per cruciatum ſenſibilem; inquit enim: (d) *Mors ipſa eſt corporis & animæ punitio ſempiterna:* & rurſus: (e) *Mors iſta, qua ſpiritus a corpore ſeparatur, & illa, quæ dicitur ſecunda, qua ſpiritus cum corpore cruciabitur, quantum attinet ad meritum generis humani in omnes homines pertranſiit*.

Adducunt rurſus S. Fulgentium, ſeu potius Africanos Patres in Sardinia pro fide exules, quorum nomine librum *de Incarnatione & Gratia* S. Fulgentius conſcripſit. In hoc ergo opere hœc contra negantes originale habentur: (f) *Quo* (in re-

(a) *Lib.* 1. *de fide & oper. cap.* 15.
(b) *Lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 28.
(c) *De dono Perſever. cap.* 12.
(d) *Serm.* 17. *append. al.* 162. *de tempor.*
(e) *Lib.* 2. *oper. imperf. contr. Jul. n.* 66.
(f) *De Incarn. & Grat. cap.* 14.

regnum Dei) *quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis*: & infra: (a) *Quomodo infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat, nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat? Nonne ipsos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate, vel malitia voluntatis alios videat potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?* rursus alibi idem Fulgentius: (b) *Firmissime tene, & nullatenus dubita non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui . . . . sine Sacramento Baptismatis de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio puniendos.*

Adducunt tandem alios Patres idipsum docentes. S. Hieronymus Pelagiano ita objicienti: (c) *Peccare* (parvuli) *non possunt, & possunt perire, genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua ridetur, & æternæ miseriæ cruciatus miseris præparantur*, tantum abest, ut neget præparationem horum cruciatuum, quin potius assumit ex Apostolo probandum peccatum originale, ut ostendat hos pueros non injuste ita puniri: S. Prosper universaliter asserit, quod (d) *igni deputabitur quidquid carebit substantia charitatis*. S. Avitus de his infantibus canit (e)

Omnibus his illud gravius, si forte carentem
Cœlesti lavacro tenerum mors invida natum

Præ-

(a) *Ibid. cap.* 30.
(b) *De fid. ad Pet. cap.* 27.
(c) *Lib.* 3. *Dialog. contr. Pelag.*
(d) *In Psalm.* 128.
(e) *In Carm. ad Fuscinam soror.*

Præcipiat dura generatum sorte gehennæ,
Quique genitricis cessat dum filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt
Quæ flammis tantum genuerant membra parentes:

S. Gregorius Magnus ait: (a) *Nonnulli prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita vitæ activæ perveniant, quos quia a culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur, perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt:* S. Isidorus Hispalensis: (b) *Illud tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quæ, nisi percipiant baptismatis Sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne & commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum:* S. Prudentius: (c) *Extra Baptismi gratiam morientes* (parvuli) *non suo, sed Protoplasti peccato perpetua plexione damnantur:* S. Aelredus objectioni, quod injustum videatur parvulos igne puniri, respondet: (d) *Quid injustum æstimas, ut lignum inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita, quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis infeciatum, justissime addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi.*

Ad-

(a) *Lib. 9. Moral. cap. 21. rec. 12.*
(b) *Lib. 2. Diff. n. 26.*
(c) *Lib. de Prædest. cap. 16.*
(d) *Lib. 1. Specul. Charit. cap. 14.*

Adducunt tandem defensores benignæ sententiæ varias rationes, quæ omnes ad hanc præcipue reducuntur, quod injustum videatur, ut parvulos, qui propria voluntate non peccaverunt, non solum excludat Deus a regno cœlorum, sed etiam æterno ignis cruciatu puniat. Sane, inquiunt ipsi, si pater aliquis acceperit a Principe feudum, & postea in Principem rebellis fuerit, intelligitur juste privari feudo tum ipsum, tum ejus filios, intelligitur etiam juste pœna capitali ipsum plecti. At quod eadem pœna capitali & filii, qui nondum erant nati, cum hic deliquit, puniantur, hoc durum sane & injustum videtur. Ita a pari &c.

Sed respondent alii hanc ipsam difficultatem millies fuisse objectam a Pelagianis S. Augustino, aliisque Pelagianismi impugnatoribus, qui tamen ab illa se expedierunt probando parvulos esse vere infectos peccato; hoc enim posito dicebant non esse injustum, quod æterna damni & sensus pœna puniantur, sicuti non est injustum, quod pœnis sensibilibus & morte corporali puniantur in hac vita. Ex hoc inferunt disparitatem inter filios patris in Principem rebellis, & pueros originali maculatos; primi enim per crimen patris non efficiuntur vere & intrinsece peccatores, veramque culpam ex illo non contrahunt, secus alii. Ergo &c.

Patet jam ex hucusque dictis gravissima pro utraque sententia militare momenta, adeoque utramque esse probabilem. Eligat quisque quam putet probabiliorem. Hoc tantum adverto, quod quæcunque ex his sententiis eligatur, asserendum videtur parvulos Baptismo præmorientes tristitiam animi de propria damnatione persensuros. Et quidem si dicatur ipsos passuros pœnam sensus, id est manifestum. At id quoque contingere verisimile est, si ab hac pœna eximantur; quomodo enim non tristabuntur, qui cognoscent se Deo ultimo illorum fine irreparabiliter privatos, præcipue cum exclusa hac tristitia vix salvetur amissionem beatitudinis habere rationem pœnæ, quæ ratio omnino salvanda est? Tristabuntur ergo,

go, quamvis minus illis, qui ob actualia damnati sunt, sicuti, si igno cruciantur, minimus erit illorum cruciatus in comparatione illius, quo iidem damnati ob actualia afficientur.

CAPUT QUARTUM.

De statu animarum in gratia constitutarum, sed quæ aliquo vel veniali, vel reatu pœnæ temporalis detinentur.

NOtabo 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2 statuam Catholicum dogma de sententia Purgatorii: 3, afferam quæ docent Theologi de circumstantiis ipsius Purgatorii.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. non posse institui quæstionem de his animabus, nisi supponatur dari peccata venialia, & posse aliquem decedere cum solo reatu pœnæ temporalis. Quoniam autem hæc duo non omnes admittunt, ideo ante omnia utrumque esset vindicandum. Sed cum hæc ad Tractatum de peccatis spectent ut ad proprium locum, ideo placet hæc modo supponere differendo illorum examen ad dictum Tractatum.

Noto 2. esse de fide animas vel aliquo solum veniali, vel aliquo reatu pœnæ solum temporalis gravatas detineri in medio quodam loco inter paradisum & infernum damnatorum, donec ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu solutæ fuerint, ibique fidelium suffragiis juvari: & hic locus vocatur *purgatorium*. Ubi sit iste locus, quamdiu ibi detineantur animæ, quæ tormenta ibi patiantur, qui sit illorum modus ac mensura, Ecclesia non definivit, sed multa de his docent Patres ac Theologi.

Noto 3. contra purgatorium errasse 4. sæculo Aerium, qui hæresi Arianæ, qua erat infectus, adjunxit inutile esse orare pro mortuis. Purgatorium pariter sustulerunt Valdenses & Apostolici

(Hæ-

(Hæretici sic dicti), & novissime Lutherus & Calvinus. Non levis est suspicio in hoc quoque errore fuisse, aut etiam modo esse Græcos Schismaticos. Contra hos omnes duabus claritatis gratia distinctis assertionibus procedam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio Prima. *Existit purgatorium, idest locus medius inter paradisum & infernum damnatorum, in quo detinentur animæ non plene purgatæ ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu.*

Prob. ex Scripturis docentibus in altera vita aliquas esse animas peccatis inquinatas, quæ tamen possunt remitti. Ergo habetur ille locus &c. Probatur antecedens. I. postquam narratum est Judam Machabæum (a) misisse pecuniam Jerosolymam, ut offerrentur sacrificia pro defunctis in bello occisis, subditur: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Hi ergo defuncti erant inquinati peccatis, & poterant ab illis solvi. Ergo &c. Nec obstat, quod aliqui opponunt, scilicet errasse Judam, dum pro illis defunctis fecit offerri sacrificia, qui jam erant mortui in lethali, cum inventa sint sub tunicis eorum donaria Idolorum Judæis sub gravi prohibita; nam etsi errasset Judas putando capaces suffragii illos, qui tales non erant, patet tamen hanc tunc fuisse sententiam Ecclesiæ Judaicæ, quod, qui capaces erant, possent juvari. Rursus etsi errasset Judas, non tamen ideo erravit sacer Scriptor concludens narrationem illis verbis: *Sancta ergo & salubris &c.* sed probabiliter nec erravit Judas; potuit enim existimare saltem plures ex illis decessisse in gratia, non obstantibus jam dictis donariis, vel quia legem ignoraverint, vel quia illam interpretati

sint

(a) 2. *Mach.* 12.

ſint de prohibitione tantum ſub levi, vel quia neſcierint illa eſſe donaria Idolorum, vel tandem, quia a peccato etiam gravi per contritionem in morte mundati ſint.

II. prob. ſupradictum antecedens ex verbis Chriſti: (a) *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* In quæ verba S. Auguſtinus inquit: (b) *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro*: & S. Gregorius Magnus: (c) *In qua ſententia datur intelligi quasdam culpas in hoc ſæculo, quasdam vero in futuro poſſe laxari*; Si ergo remittuntur peccata in alia vita, patet poſſe dari animas in alia vita inquinatas peccatis remiſſibilibus. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Florentinum ait: (d) *Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis; eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, &, ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta*: & Tridentinum: (e) *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporæ-*

(a) *Matt.* 12.
(b) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 24.
(c) *Lib.* 4. *dialog. cap.* 39.
(d) *In definit. fidei.*
(e) *Seſs.* 6. *Can.* 30.

ralis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

Prob. ex praxi Ecclesiæ fundentis pro defunctis preces (de quibus etiam in sequenti assertione), cum enim hæ preces non possint juvare Beatos, qui in beatitudine non possunt crescere, nec damnatos, pro quibus nulla est redemptio, reliquum est, ut juvent alios in medio loco degentes, qui scilicet ab omni culpæ & pœnæ reatu nondum purgati sunt.

Prob. ratione. Potest quis decedere cum aliquo veniali nondum dimisso, vel antequam plene satisfecerit pro pœna temporali debita peccatis jam dimissis, ut suppono. Sed hic non potest in paradisum introduci, cum nullus illuc introducatur nisi immunis ab omni reatu culpæ & pœnæ, nec potest detrudi ad tartara, cum non debeat solvere pœnam æternam, sed solum temporalem. Debet ergo detineri in loco medio inter paradisum & infernum, quousque immunis ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu evaserit. Ergo &c.

Obj. ex Scriptura. I. ibi dicitur (a): *Quodcumque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Ergo in alia vita nullus datur locus expiationi, adeoque nullum purgatorium.

II. Ibi dicitur (b): *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo omnes status mortuorum sunt permanentes, sicque nullus datur status transiens, qualis est status purgatorii.

III. Ibi dicitur justorum animas, cum migrant è corpore, statim in cœlum recipi. Ita dicit Christus (c): *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æter-*

(a) *Eccle.* 9. (b) *Eccles.* 11.
(c) *Jo.* 5.

æternam, & in judicium non venit, sed transit a morte in vitam: & alibi dicitur (a): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*: alibi (b): *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*: & infra (c): *Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: alibi (d): *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Hoc innuit Apostolus, qui post mortem expectabat statim gloriam: *Cupio*, inquit, *dissolvi, & esse cum Christo*. Hoc tandem ipse Christus dicens Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Ergo &c.

℟. Ad I. hoc solum evinci, in alia vita non adesse locum meritis cumulandis, ideoque nos debere esse sollicitos de iis cumulandis in hac vita: nec etiam adesse locum satisfactioni rigorosæ: non autem evinci non adesse locum satispassioni. Audiatur S. Gregorius Magnus, qui post verba Scripturæ adducta inquit (e): *Ex quibus sententiis constat, quia qualis hinc egreditur quisque, talis in judicio præsentatur, sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est*.

Ad II. ℟. primo aliquos textum interpretari de corpore, quod moriendo in quemcumque locum ceciderit, ibi erit, donec inde aliena manu dimoveatur, qua admissa interpretatione nihil ex textu contra nos: secundo ℟., etsi textus intelligatur de anima, posse optime explicari, quatenus vel e corpore migret in gratia, vel in lethali, semper in eo statu permanebit. Et sane si textus excluderet quemcumque statum transeuntem alterius vitæ, excluderet etiam locum, in quo ante Christum Sancti detinebantur. Hoc non. Ergo &c.

Ad

(a) *Apoc.* 14. (b) *Sap.* 3.
(c) *Cap.* 4. (d) *Psalm.* 126.
(e) *Lib.* 4. *Dialog. cap.* 39.

Ad III. ℟. Nullum ex allatis textibus probare contra nos; quod enim adducitur ex Jo. 5. ita commodissime explicatur: *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam*, idest *peccatores, qui audiunt verbum meum, vivent, & gratiam obtinebunt*, quæ nomine vitæ æternæ venit, cum sit vita animæ, & quidem quæ potest in æternum durare, si homo velit, vel etiam *vitam æternam habebunt suo tempore, si perseveraverint in fide charitate formata: Hi in judicium non venient*, quia non subibunt sententiam condemnatoriam ad æternas pœnas; hæc enim probabilius venit nomine *judicii*, nam infra asseritur eos, qui mala egerunt, resurrecturos *in resurrectionem judicii*, quæ opponitur *resurrectioni vitæ:* Ut ergo resurrectio vitæ est ad gloriam, ita e contrario resurrectio judicii est ad æternas pœnas: *Hi ergo non subibunt hanc sententiam, sed transibunt de morte peccati ad vitam gratiæ*. Cohæret hæc expositio cum sequentibus; immediate enim subdit Christus: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei*: & post pauca: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*, quibus probat resurrectionem spiritualem peccatorum ex resurrectione mortuorum corporali. Nisi dicere velimus hanc posterioribus tantum verbis indicari, prioribus vero de spirituali Christum prosequi sermonem. Locus ex Apocalypsi ab aliquibus explicatur de Martyribus ob antecedentia: *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu*. Martyrium autem etiam per nos omnem pœnam delet: Alii locum explicant de perfecte justis: alii de requie tantum a laboribus hujus vitæ, & a lucta cum passionibus: alii illud *amodo* non intelligunt de tempore mortis cujusque justi, sed de tempore præsenti, quo viget Ecclesia militans, quasi dicatur: etiam nunc aliqui jam in patria requiescunt a laboribus suis. Quæcumque ex istis explicationibus sane probabilius admittatur, nihil ex textu contra assertionem. Ideo autem animæ justorum dicuntur

tur esse in manu Dei, quia sunt sub tutissima illius custodia, & nunquam tanget illos tormentum mortis, idest vel mortis æternæ, si durent in justitia, vel etiam mortis corporalis hoc sensu, quod ipsis hæc mors non erit tormento, quia jam a rebus hisce terrenis averterunt corda, & ad cœlestia converterunt. Justus porro dicitur futurus in refrigerio, si morte præoccupatus fuerit, quia salvabitur, quamvis non semper statim a morte. Locus ex Psalmo vel denotat post mortem omnium Sanctorum veteris Testamenti ad Messiam omnes gentes, quæ sunt ipsius hæreditas, convertendas, vel retribuendam omnibus Sanctis gloriam completam animæ & corporis, cum omnes jam debitum mortis exsolverint. Apostolus expectabat quidem dissolvi, ut statim esset cum Christo, sed non est eadem ratio de omnibus aliis justis, qui non sunt ejusdem cum Apostolo sanctitatis. Bonus tandem latro ex privilegio purgatorium evitavit, quod privilegium non omnibus æqualiter est concedendum. Ergo &c.

Obj. ex Patribus I. S. Hieronymus inquit (a): *Quando anima vinculis laxata corporeis . . . habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur . . aut certe ad cœlestia sublevabitur*. Excludit ergo purgatorium.

II. S. Augustinus inquit (b): *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus sit, tunc accipit quisque, cum moritur*. Ergo ex S. Doctore justi omnes statim a morte ad paradisum ducuntur, adeoque nullus subjacet purgatorio. Saltem idem S. Doctor tum in Enchiridio, tum alibi de purgatorio videtur dubitare.

III. Auctor Hipognostici, postquam duo loca pro animabus recensuit, scilicet paradisum & in-

(a) *In cap.* 9. *Amos.*
(b) *Tract.* 49. *in Jo. n.* 10.

fernum, subdit (a) *Tertium penitus, ignoramus, imo nec esse in Scripturis Sacris inveniemus*. Ergo &c.

℟. ad I. ex Bellarmino S. Hieronymum non loqui de morte naturali, sed de solutione, quæ fit, dum anima libere permittitur objecta speculari. Hanc ergo solutionem aptat Hieronymus impio, qui, quocumque se vertat cogitatione sua, semper Deum ultorem inveniet, & hoc etiamsi ad cœlestia sublevetur; ibi enim inveniet *spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, ut ipse inquit &c.

Ad II. ℟. requiem non dari statim post mortem nisi illi, qui dignus fuerit juxta S. Doctorem. Cum ergo ex probatis animæ, de quibus hic, nondum requie sint dignæ, ideo illis non statim dabitur requies. S. autem Doctor nunquam fuit dubius circa existentiam purgatorii, sed solum circa conditione vel pœnarum, quibus cruciantur animæ ibi detentæ, vel criminum, quæ ibi puniuntur. Sane S. Augustinum nunquam dubitasse de purgatorio constabit ex infra in secunda assertione adducendis.

Ad III. ℟. excludi ibidem locum dumtaxat illum beatitudinis, quem pro parvulis non baptizatis adstruebant Pelagiani.

Obj. ex ratione. I. non potest admitti purgatorium nec ob venialia; nam hæc non possunt in alia vita deleri, nec ob reatum pœnæ temporalis; nam nulla potest in purgatorio exhiberi satisfactio pro pœnis debitis peccatis, cum ad satisfactionem requiratur opus liberum, pœnæ autem animarum purgantium non sint liberæ. Ergo &c.

II. si ob adducta capita deberet admitti purgatorium, deberet etiam admitti post diem judicii, cum moraliter impossibile sit, ut, qui ultima die morientur, omnes sint perfecte immunes

(a) *Lib.* 5. *cap.* 5.

nes ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu. Hoc non. Ergo &c.

℟. ad I. aliquos asserere decedenti in gratia remitti omnia venialia in instanti mortis vi meritorum præcedentium: alios asserere homini sic decedenti hæc remitti in primo instanti post mortem ob actum contritionis perfectæ, quem statim elicit. Observant siquidem hominem decedentem in gratia decedere cum habitu charitatis, qui soluta jam anima a corpore operatur intensissime, cum operetur absque impedimento terrenarum affectionum, quibus antea præpediebatur: præcipue supposita cognitione vividissima, quæ statim a morte acquiritur de bonitate Dei. Soluta igitur talis anima a corpore statim elicit, inquiunt isti, actum perfectæ dilectionis Dei, qui actus ob intensionem suam est incompossibilis cum veniali, adeoque illud aufert. Hæ sane sententiæ sunt probabiles, nec iis admissis tollitur purgatorium, cum semper remaneat alterum caput, scilicet reatus pœnæ temporalis, ob quem animæ in purgatorio detineantur. Sed quoniam Scripturæ in probationibus allatæ videntur docere aliquas animas peccatis detineri, quibus solvi expectant, ideo putat S. Thomas conformius eidem Scripturæ, Patrum & Ecclesiæ sensui asserere, quod remaneat in animabus etiam diu post mortem reatus culpæ, a quo debeant mediantibus pœnis solvi. Venialia ergo delebuntur in alia vita mediante igne supposita retractatione, quæ fit in primo instanti post mortem juxta superius dicta. Reatus autem pœnæ temporalis potest utique tolli, si non per rigorosam satisfactionem, saltem per satispassionem, & ita de facto tollitur in purgatorio.

Ad II. ℟. illis, qui in fine mundi igne conflagratorio peribunt, ignem ipsum futurum pro purgatorio, qui, quamvis brevissime eos sit cruciaturus, intensione tamen maxima supplebit diuturnitatem.

Assertio secunda. *Animæ, quæ in purgatorio detinentur, possunt viventium suffragiis juvari.*

Prob. ex Scriptura loco superius allato ex 2. Mac.

Prob. ex praxi Ecclesiæ, quæ, ut patet ex omnibus liturgiis, oravit semper & præcipue in missa pro defunctis: quæ quidem orationes, ut inquit S. Augustinus loco alibi relato (a), *Pro non valde malis*, idest pro animabus purgantibus, *propitiationes sunt*. Hanc consuetudinem esse universalem docet idem S. Augustinus, dum inquit (b): *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in veteribus Scripturis omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*: & alibi inquit (c): *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt*. Huc etiam referantur quæ supra sunt allata ex Florentino.

Prob. relatis ab Historicis fide dignissimis exemplis animarum purgantium adjutarum precibus viventium. Refert S. Gregorius Magnus (d) animam Paschasii precibus S. Germani Episcopi liberatam esse: refert Gregorius Turonensis (e) B. Vitalinam precibus S. Martini fuisse liberatam: refert S. Bernardus (f) a S. Malachia frequenti oblatione Eucharistiæ fuisse a purgatorio liberatam animam propriæ sororis. Ergo &c.

Obj.

(a) *Enchirid. cap.* 110.
(b) *De cura pro mortuis cap.* 1.
(c) *Serm.* 172. *al.* 32. *de verb. Apost.*
(d) *Lib.* 4. *dialog. cap.* 40.
(e) *De gloria Confess. cap.* 5.
(f) *In vita ejus.*

Obj. ex Scripturis. Docet Apostolus unumquemque accepturum in judicio ut meruit; nam ait (a): *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*: & alibi (b): *Unusquisque onus suum portabit*. Ergo non potest alicui minui pœna precibus aliorum.

℟. quod, etsi mortuis minuatur pœna ex suffragiis vivorum, homo tamen semper refert prout gessit; nam quod ita juvetur, hoc sibi, dum esset in vita, meruit, cum hoc proveniat a statu gratiæ, in quo decessit, & qui secum trahit communionem Sanctorum. Status autem gratiæ cadit sub merito: unde S. Augustinus inquit (c): *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari...... Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est: omnes adstabimus ante tribunal &c. quia etiam hoc meritum sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse*. Alterius loci sensus est nos non de alienis, sed de propriis peccatis rationem redditurcs. Patet ex contextu; immediate enim præcedit: *Opus autem suum probet unusquisque & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero; unusquisque enim onus suum &c.* Sed ex hoc nihil contra assertionem; quamvis enim animæ purgantes vivorum precibus juventur, adhuc tamen propriorum peccatorum reddunt rationem, & pro iis pœnam luunt.

Obj. ex Patribus. S. Hieronymus expendens locum supra adductum: *Unusquisque onus suum portabit*, ait: *Dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos*

(a) 2. *Cor*. 5. (b) *Gal*. 6.
(c) *Enchir. cap*. 110.

coadjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Ergo &c.

R/. S. Hieronymum ibi loqui de judicio Dei, in quo certe nullus potest alium juvare; ibi enim S. Doctor conciliat illa duo loca (a): *Alter alterius onera portate*: &: *Unusquisque onus suum portabit*, & asserit primum de hac vita esse intelligendum, in qua potest quisque alium orationibus adjuvare, secundum autem de judicio Dei, in quo nullus datur orationibus locus, sed sententiam recipiet quisque juxta merita. Non autem hinc sequitur, quod data sententia Judicis condemnatoria ad determinatam pœnam temporalem non possit hæc aliorum precibus minui; sententia enim hæc est veluti conditionata, videlicet, si preces non impediant. Et hæc quoad dogma purgatorii. Aliqua modo de circumstantiis ejusdem purgatorii.

ARTICULUS TERTIUS.

Animas in purgatorio detentas igne torqueri negarunt Græci in Florentino, sed illas ita torqueri fere communis est Theologorum & Patrum Latinorum sententia. Ignis hic probabiliter est ejusdem speciei cum igne gehennæ, & ita animas purgantes cruciat, ut cruciat animas damnatorum gehennæ ignis. Cum autem ex infra videndis ignis, qui cruciat damnatos, sit verus & corporeus, talis erit etiam ignis purgatorii.

Utrum animæ purgantes torqueantur a Dæmonibus est incertum. Congruentiæ aliquæ sunt tam pro parte affirmativa, quam pro negativa. Pro prima; nam animæ purgantes fuerunt aliquo mo-

---

(a) *Ep. ad Galat.*

modo victæ a Dæmonibus. Congruum ergo videtur, ut illos experiantur ministros divinæ justitiæ: pro secunda, nam videtur congruum, ut Dæmon nullam habeat potestatem in illas, quæ sunt amicæ Dei, & quæ sunt extra statum viæ, in quo Dæmonibus permittitur, ut exerceant amicos Dei. Rem dubiam ut dubiam relinquo.

Purgatorium esse locum determinatum in visceribus terræ docent communius Theologi illum collocantes prope infernum. Huic assertioni videtur obstare, quod narrat S. Gregorius (a) de anima Paschasii, quæ apparens S. Germano asseruit se detineri in balneis calidis Angulanis; & quod narrat S. Petrus Damiani (b), animam scilicet S. Severini in flumine purgatam fuisse. Sed hi casus fortasse fuerunt extraordinarii.

Ipsas aliquando ab ergastulo exire illuc remeaturas videtur probabilius; non est enim, cur dicamus ipsas non fuisse, quæ toties hominibus apparuerunt, ut revera apparuisse docent multi probatæ fidei historici. Cum tamen exeunt, secum ferunt propria tormenta, ut de Dæmonibus ab inferno egredientibus dixi in Tractatu de Angelis.

Præter pœnam sensus plectuntur etiam animæ purgantes pœna damni importante tum carentiam visionis Dei, tum summam tristitiam pro tali carentia; ipsæ enim summopere diligunt Deum, intelligunt se illo ex propria actuali culpa privari, & quamvis sperent se ipsum tandem adepturas, cum tamen hæc adeptio illis differatur, maxime ob id cruciantur juxta illud (c): *Spes, quæ differtur, affligit animam.*

Non autem est admittenda in his animabus incertitudo salutis; primo enim ex visis statim

(a) *Lib.* 4. *Dialog. cap.* 40.
(b) *Lib.* 2. *epist. ep.* 36. *quæ est.* 15. *ad Desider*
(c) *Prov.* 13.

a morte factum est illarum judicium, in quo audierunt Judicis sententiam. Præterea cognoscunt se habere habitum fidei, spei, & charitatis, adeoque se diligere Deum, quod ipsis argumento est eas non esse æterno damnatas. Rursus S. Hieronymus aliique de animabus purgantibus explicant illud (a): *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet & faciat judicium meum, ducet me in lucem, videbo justitiam ejus*. Scio in revelationibus S. Birgittæ inveniri aliquas animas purgantes de propria salute esse incertas. Sed hoc non officit; nam quamvis ille revelationum liber, vel alii fortasse similes sint ab Ecclesia approbati, non tamen definita sunt vera quæcumque in iis continentur: nisi velimus memoratam incertitudinem referri solum ad tempus durationis pœnarum, quæ quidem potest admitti, vel quatenus in judicio non fuerit illis hoc tempus manifestatum, vel quatenus nequeant intelligere quantum temporis effluxerit ex quo in carcerem sunt detrusæ, vel aliis similibus causis.

Quamdiu duratura sit pœna singularum animarum est incertum. Rejicitur communiter opinio docentium omnes cruciandas esse usque ad ultimi judicii diem; sensus enim Ecclesiæ est, quod suffragiis possint juvari, ut cito liberentur. Rejicitur etiam communiter opinio Soti existimantis nullam animam ultra decennium in purgatorio morari; & hæc enim opinio est contra sensum Ecclesiæ ultra decennium suffragia protendentis.

Quæ-

(a) *Mich.* 7.

Quæstio est inter Theologos, utrum suffragia purgantibus animabus prosint per modum simplicis impetrationis, an solum per modum satisfactionis, utrum cum quis E. G. orat pro mortuis, istis prosit oratio, præcise ut oratio est, an vero vel ut est opus satisfactorium, vel ut habet vim impetrandi a Deo, ut mortuis ipsis aliæ satisfactiones applicentur. Primo modo posse mortuos juvari videtur sentire Durandus. Probabilius tamen est juxta ordinariam providentiam posse mortuos solum secundo modo juvari; quoties enim Patres agunt de remissione pœnæ, semper recurrunt ad opera satisfactoria, & Christus ipse, ut nobis remitterentur pœnæ peccatis debitæ, satisfecit pro nobis. Hinc cum Beati orant pro defunctis, cum non possint pro illis satisfacere, non juvant illos nisi mediate, obtinendo scilicet a Deo, ut eis applicentur satisfactiones vel Christi, vel viatorum.

Possunt viventes satisfacere ad æqualitatem pro pœnis debitis animabus purgantibus, non tamen certum est Deum acceptare infallibiliter omnes satisfactiones sibi pro aliqua determinata anima oblatas. Ratio primi est, quia potest justus vivens condigne satisfacere pro reatu pœnæ temporalis juxta damnationem propositionis 77. inter Bajanas: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam* (satisfactio autem condigna est ad æqualitatem), cumque reatus pœnæ temporalis idem sit & in hoc mundo, & in alio, quamvis diverso modo tollendus, si potest vivens satisfacere ad æqualitatem pro reatu pœnæ temporalis tollendæ in hoc mundo, id etiam poterit pro reatu pœnæ temporalis tollendo in altero. Ratio secundi est, quia est communis fidelium sensus, ut non unicum sacrificium postulent pro animabus propriis, sed plura & plura, quem sensum praxi sua approbat Ecclesia. Videtur ergo hæc esse communis Ecclesiæ persuasio, quod sacrificia non acce-

ptentur infallibiliter a Deo pro illis singillatim, pro quibus offeruntur; alias unico tantum sacrificio quilibet esset contentus. Sed quod valet de sacrificiis, potiori jure valet de aliis omnibus operibus satisfactoriis. Ergo &c. Videtur tamen maxime consonum divinæ misericordiæ, ut satisfactiones oblatæ Deo pro animabus purgantibus semper alicui ex illis prosint.

CAPUT QUINTUM.

De statu animarum lethali actuali infectarum.

HAS animas ad infernum detrudi certum est. Circa hunc ergo infernum examinabo 1. utrum ignis, quo cruciantur damnati, sit verus ac corporeus, 2. utrum pœnæ damnatorum lethalibus correspondentes sint futuræ æternæ, 3. utrum veniale cum mortali conjunctum per accidens & ipsum æterno puniatur in inferno: 4. agam de obstinatione voluntatis damnatorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæritur hic utrum ignis inferni sit verus & corporeus, an vero tantum metaphoricus: & hæc quidem quæstio procedit etiam circa Dæmones, sicuti etiam procedunt circa Dœmones quæ infra statuentur tum de æternitate pœnarum inferni, tum de obstinatione voluntatis damnatorum. Sententia affirmativa est communissima, & juxta aliquos de fide, sed per alios non est; nullum enim, inquiunt isti, extat circa hoc decretum Ecclesiæ, imo in Florentino fuerunt in communionem recepti Græci, quamvis negarent ignem inferni corporeum esse ac materialem, neque hæc negatio inter illorum errores est numerata. Est igitur saltem moraliter certa. Juxta hanc sit

ASSERTIO. *Ignis, quo in inferno damnatorum spiritus cruciantur, est verus atque corporeus.*

Prob.

Prob. ex Scriptura, quæ passim, cum de inferno loquitur, meminit ignis. Ita (a): *Consummatio illorum flamma ignis*: rursus (b): *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* alibi (c): *Discedite a me maledicti in ignem æternum*: & S. Petrus (d): *Igni reservati in die judicii & perditionis impiorum hominum*. Appellatur etiam infernus *gehenna ignis*, *stagnum ignis*, *clibanum ignis* Cum ergo Scriptura passim in inferno adstruat ignem, cumque verba Scripturæ accipienda sint in litterali sensu, nisi aliquid obstet, cum tandem hic nihil obstet, ut patebit solutione objectionum, dicendum est ignem inferni verum esse atque corporeum. Præterea eodem igne cruciantur spiritus damnatorum, quo eorum corpora post diem judicii cruciabuntur, ut constat ex locis adductis; hic autem proculdubio est corporeus. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Hieronymus (e) arguit Origenem, quod ignem inferni metaphorice intellexerit: S. Augustinus, postquam asseruit esse opinionem aliquorum Dæmones habere corpora, subdit (f): *Si autem quisquam nulla habere corpora Dæmones asseverat, non est hac de re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum; cur enim non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo.... Dæmones licet incorporei corporeis ignibus crucian-*

(a) *Eccle.* 21.
(b) *Is.* 33.
(c) *Mat.* 25.
(d) 2. *Pet.*
(e) *Ep.* 124. *al.* 59. *ad Avitum n.* 7.
(f) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 10.

ciandi &c.: & deinde: *At vero gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulpharis dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & Dæmonum, solida hominum, aerea Dæmonum, aut tantum horum corpora cum spiritibus, Dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus*: S. Gregorius Magnus ait (a): *Per ignem corporeum mens incorporea cruciatur*. Ergo &c.

Prob. ex Theologorum consensu, qui omnes, si paucissimos excipias, ita sentiunt.

Obj. ex Scriptura. Loquens hæc de damnatis dicit eos cruciari vermibus, fame, & siti, dicit cruciari linguam divitis Epulonis, & alia id genus, quæ sane metaphorice sunt accipienda. Ergo etiam ignis.

℟. diverso modo loqui Scripturam de igne, ac de aliis in objectione adductis; de his enim raro loquitur, & hæc communius intelliguntur a Patribus & Theologis metaphorice. At de igne constantissime loquitur, cum loquitur de inferno, & præterea ignis proprie & litteraliter intelligitur a Patribus & Theologis fere communissime. Ergo &c. Addo non deesse Patres, qui saltem vermes volunt intelligendos litteraliter, & inter alios S. Basilius ait (b) in inferno, *Esse vermium innumerabilium genus venenosum, & carnivorum*. Sed cum alii illos intelligant metaphorice, pro remorsu scilicet conscientiæ (c), *Eligat*, utar verbis Augustini, *quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice, aut utrumque proprie corpori;* semper enim subsistit data superius prima responsio. Quod si durum alicui videatur

unum

(a) *Lib.* 4. *Dialog. cap.* 99.
(b) *In Psal.* 33.
(c) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 9.

unum nomen in eadem serie sermonis, imo in eadem propositione litteraliter sumi, aliud metaphorice, recolat quæ dixi ubi de errore Millenariorum agens ostendi idem etiam nomen in eadem propositione modo litteraliter sumi, modo metaphorice. A fortiori ergo poterunt, ita sumi diversa nomina.

Obj. ex Patribus. I. S. Augustinus inquit (a): *Dicerem quidem sic arsuros esse sine ullo suo corpore spiritus, sicuti ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat: crucior in hac flamma, nisi convenienter responderi cernerem talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi, qualis Lazari digitus, de quo id sibi fieri postulavit, ubi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam poposcit, qualia sunt visa dormientium sive in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.*

II. S. Gregorius ait (b): *Gehennæ ignis, cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis.*

III. S. Damascenus docet (c), *Ignem æternum non materialem esse, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.* Ergo &c.

Ad I. ut respondeam, noto quod narratur Lucæ 6. de divite Epulone in inferno sepulto, quem Augustinus respicit, per aliquos esse historiam, per alios parabolam. Rursus; si sit historia, factum illud potest dupliciter explicari, primo dicendo, quod diviti damnato fuerint realiter præsentati Abrahamus & Lazarus, & reale inter il-

(a) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 10.
(b) *Lib.* 15. *moral. cap.* 29. *rec.* 17.
(c) *Lib.* 4. *de fid. cap.* 8.

illos fuerit colloquium (more spirituum); secundo dicendo, quod diviti veluti dormienti aut in extasi constituto fuerint solum imaginarie præsentati Abrahamus & Lazarus, & imaginarium solum fuerit illorum colloquium. At tam in hypothesi, quod esset parabola, quam in hypothesi, quod esset historia, sed colloquium fuisset imaginarium, incertum esset an verba divitis essent sumenda in sensu proprio; si enim primum, denotat aliquid fictum: si secundum, dives non asserebat rem, nisi ut illi apparebat, vel postea talis de facto esset, vel non: Augustinus autem putabat factum divitis ad historiam pertinere, ut constat ex iis, quæ alibi habet, sed vel putabat divitem veluti dormientem & in extasi constitutum esse locutum, vel saltem hoc putabat probabile. Rursus videbat quod juxta hanc sententiam ex verbis divitis non poterat colligi flamma corporea cruciari spiritus, cum dives in hac hypothesi de rebus loqueretur solum ut illi apparebant: unde sicuti digitorum & linguæ mentionem fecit, non quatenus & in ipso esset lingua, & in Lazaro digiti, sed quatenus ita illi tunc apparebant, ita & potuit flammæ mentionem facere, non quatenus revera flamma cruciaretur, sed quatenus ipsi tunc videbatur flamma cruciari. Augustinus ergo hoc videns noluit probare Spiritus incorporeos posse corporalibus ignibus affligi ex verbis divitis, ne difficultatem subiret supra expositam, quam ipse appellat probabilem per illud: *Nisi convenienter responderi posse cernerem*. Sed aliud est nolle probare propositionem aliquam tali determinato modo, quia cernitur probationem esse obnoxiam gravibus difficultatibus, aliud ipsam propositionem negare: sicque aliud est, quod Augustinus noluerit pobare corporeitatem ignis tartarei ex verbis divitis, aliud quod talem corporeitatem negaverit. Sane hanc non negasse, imo pro hac stetisse constat ex verbis S. Doctoris in probationibus allatis, quorum priora, scilicet: *Si autem quisque* &c. præcedunt verba laudata in objectione, alia, scilicet: *At vero gehenna* &c. illa subsequuntur. Ad

Ad II. ℟. probabiliter non esse legendum *cum sit incorporeus*, sed *cum sit corporeus*, idque nedum quia ita legunt S. Thomas, Sixtus Senensis, Velosillus & Petavius, sed etiam quia tam sæpe aperte alibi asserit S. Doctor ignem inferni esse corporeum, ut non possit nisi manifesta contradictione hic asserere illum esse incorporeum. Quod si quis contenderet non esse vitiatum textum, ℟. ignem inferni a S. Gregorio dici incorporeum solum, quatenus non est ut noster pabulo indigens, extinguibilis &c.

Ad III. ℟. Damascenum pariter non negare ignem inferni esse simpliciter materialem, sed solum esse materialem quomodo est noster, ut constat ex ipsius verbis.

Inquirunt Theologi, quomodo ignis tartareus agat in damnatos, & circa hoc varii varia. Alii putant illum agere per hoc, quod eos veluti alliget, & detineat in loco contra illorum propriam voluntatem: alii illum agere per hoc, quod qualitatem doloriferam in ipsis excitet: alii per hoc, quod apprehendatur ut noxius: alii tandem (inter quos & ipse sum) fatentur se id ignorare, & quæstionem absolvunt verbis S. Augustini supra relatis, nimirum: *Spiritus illos incorporeos pœna corporalis ignis affici miris, sed veris modis*. De æternitate modo pœnarum damnatorum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa æternitatem hanc erravit Origenes docens pœnas damnatorum tandem finiendas. Hunc errorem secuti sunt quidam Armeni 7. sæculo, & tandem posterioribus hisce temporibus Sociniani. Contra hos omnes sit

Assertio. *Æterna futura sunt damnatorum supplicia*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura, quæ cum de pœnis damnatorum agit, eas semper vocat æternas. Ita (a): *Ignis*

(a) *Isa.* 60.

Ignis eorum non extinguetur: alibi (a): *Discedite a me maledicti in ignem æternum*: & infra: *Ibunt hi in supplicium æternum*: alibi: (b) *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*: tandem (c): *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Alia brevitatis studio omitto.

Prob. ex Conciliis Constantinopolitanum II. damnavit Origenem eo quod assereret supplicia damnatorum finem habitura, ut testatur VI. Synodus. Hoc idem docuit Lateranense IV. (d) & Tridentinum (e).

Prob. ex Patribus. S. Justinus inquit (f): *Quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro delictis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt*: S. Irenæus (g): *Unus Deus... principi abscessionis Diabolo, & qui cum eo abscesserunt Angelis æternum ignem præparans, in quem mittentur illi, qui in sinistra sunt separati*: S. Augustinus (h): *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt dicentes ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam, cum & hoc prævidens Dominus... sententiam suam concluserit dicens sic: ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.*

Obj. ex Scripturis. I docent hæ omnes fideles salvandos. Ita dicitur (i): *Si quis superædificat supra fundamentum hoc* (idest Christum, & sic denotantur fideles) *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscu-*

(a) *Matt.* 25. (b) 2. *Thess.* 1.
(d) *Apoc.* 20. (e) *Cap.* Firmiter.
(e) *Sess.* 6. *can.* 25.
(f) *Apolog.* 1. *ante medium.*
(g) *Lib.* 3. *cap.* 23.
(h) *De fid. & op. cap.* 15.
(i) 1. *Cor.* 3.

cujusque opus quale sit ignis probabit: si cujus opus manserit.... mercedem accipiet.... si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem: & alibi (a): *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.*

II. docent Deum tandem misericordiam adhibiturum erga omnes (b): *Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* & alibi (c): *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.*

III. dicitur: (d) *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: peccatum autem non est infinitum. Ergo nec debent esse infinitæ plagæ.

IV. animas tandem exituras ab inferno, cum persolverint debitas pœnas, eruitur ex illo (e): *Non exies inde donec reddas novissimum minutum*. Ergo &c.

℟. ad I. varias a Patribus primo loco tribui expositiones. S. Augustinus (f) per fundamentum intelligit Christum, per aurum, argentum, & lapides pretiosos intelligit bonas affectiones, per fœnum, stipulam &c. intelligit affectiones terrenas, quibus tamen anteponitur Christus, tandem per ignem intelligit tribulationes. Fac ergo, inquit Augustinus, ut superveniat tribulatio, si hæc intacta relinquat objecta affectionum, ut accidit, cum hæ diriguntur ad res spirituales, quæ a tribulationibus non læduntur, tunc *manet opus*, adeoque ita affectus *mercedem accipiet*; si autem tribulatio arserit objecta harum affectionum, ut accidit, cum hæ diriguntur ad res terrenas, quæ pos-

(a) *Marc. ult.*
(b) *Psalm.* 102.
(c) *Deut.* 25.
(d) *Luc.* 12.
(e) *Luc.* 12.
(f) *Enchirid. cap.* 68.

possunt amitti, tunc *ardet opus*, adeoque ita affectus *detrimentum patitur*, idest tristitiam percipit, sed tamen salvus erit, *quasi per ignem*, idest per tribulationem transeundo. S. Gregorius Magnus (a) per aurum, argentum, & lapidem pretiosum intelligit opera bona, per lignum, stipulam &c. peccata venialia, & purgatorium per ignem. S. Chrysostomus per ligna & fœnum intelligit quidem peccata gravia, & per ignem infernum, sed illud: *salvus erit quasi per ignem*, ita intelligit, ut peccator per ignem veluti saliatur, quia scilicet ignis ipse non consumit peccatorem, sed semper illum conservat ad novam pœnam. Ex his patet nullam esse necessitatem exponendi textum ut in objectione expositus est. Addo ex Augustino (b) auctoritatem S. Jacobi dicentis (c): *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere,. opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Quibus innuitur credentibus in Christum non sufficere fidem ad salutem, sed requiri opera, adeoque non omnes fideles salvari. Ex his patet responsio ad aliud ex Marco.

Ad II. ℟. juxta aliquos priora scripta esse tempore magnæ tribulationis populi Judaici, a qua sacer Scriptor, ut ostendat se sperare liberationem, ita exaltat misericordiam Dei, sed, ut patet, relate ad tollendas miserias corporales hujus vitæ. Juxta alios sacer Scriptor per hæc significat se sperare Deum tandem viventes peccatores ad se conversurum, nec permissurum eos in infidelitate & peccatis permanere. Sequentia pariter explicantur de misericordia Dei relate ad viventes. Nullus autem reperietur, qui aut hæc aut illa explicet de misericordia exercenda erga damnatos. Ergo &c.

Ad

(a) *Lib. 4. dial. cap.* 39.
(b) *De fid. & op. cap.* 14.
(c) *Ep. Jacob. cap.* 2.

Ad III. ℟. dictum illud nec per Adversarios indicare tantam futuram durationem pœnæ, quanta est duratio actus peccaminosi, alias cum hic ut plurimum paucis instantibus absolvatur, paucis etiam instantibus deberet puniri, quod nec illi admittunt. Debet ergo pœna esse proportionata culpæ moraliter, ita ut nec sit major nec minor, quam mereatur culpa, & hoc optime verificatur in casu; culpa enim mortalis pœnam exigit æternam, tum ex quo mortaliter peccans se constituit in statu, unde non potest nisi per gratuitum Dei beneficium resurgere, tum ex quo culpa mortalis habet malitiam quodammodo infinitam, cum sit gravis offensa personæ infinitæ dignitatis, ut latius explicabitur in Tractatu de peccatis.

Ad IV. ℟. dictum illud a pluribus intelligi de peccato veniali & de pœnis ipsis debitis. Quod si vellet quis locum intelligere de lethali & de pœnis ipsi in inferno debitis, ℟. quod, sicuti ex illo eruitur solvendam pœnam juxta rigorem justitiæ, & pœna lethali debita est æterna, ita eruitur pœnam hanc futuram æternam.

Obj. ex Patribus. I. S. Gregorius Nyssenus (a), cujus verba brevitatis studio omitto, docet post longos temporis circuitus auferendum a natura malum, ipsum Diabolum sanandum, ut omnibus in pristinum gradum restitutis omnis creatura agat gratias Deo. Ergo &c.

II. S. Gregorius Nazianzenus, postquam asseruit ignem inferni esse æternum, subdit: (b) *Nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet.* Quibus saltem dubitare videtur, utrum ignis inferni sit æternus.

III.

(a) *Orat. Catechet. & lib. de Anim. & resur.*
(b) *Orat. in sanct. Baptism.*

III. S. Ambrosius (a) asserit diversis pœnis puniendos Dæmones, ac puniantur homines impii. Vel horum igitur, vel aliorum pœnæ non erunt æternæ. Rursus asserit divitem in inferno sepultum aliquando esse liberandum.

IV. S. Hieronymus (b) refert sententiam Origenis circa finem pœnarum inferni ac momenta, quibus ea nititur, nec refellit, sicuti pariter refert nec refellit hanc sententiam Origenis: *Nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum:* rursus docet solos Dæmones æterno puniendos, peccatores vero fideles esse a perditione liberandos; inquit enim: (c) *Si Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui Diabolum & satellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Et alibi (d) docet habitatores Sodomæ & Gomorræ, Ægyptios submersos in mari rubro, fidelem deprehensum in adulterio & occisum non puniri in æternum, quia æterna pœna compensatur punitione temporali. Hi autem omnes sunt damnati, utpote mortui in lethali. Ergo &c.

℟. Ad I. quæ ex Nysseno pro Origenistis afferuntur esse supposititia, & ab iisdem intrusa in ejus scripta, ut testatur S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in libro, qui inscribitur *Retribuens & legitimus* apud Photium. Cæterum S. Doctorem non stare pro Origenistis constat ex illius oratione in eos, qui differunt Baptisma, ubi ait: (e) *Nihil boni possum expectare ab iis, qui sacris mysteriis non sunt initiati*: & infra dicit, *Animam illius, qui non est baptizatus,*

(a) *In Psalm.* 118. *octon.* 20.
(b) *Comm. in cap.* 66. *Isa.*
(c) 1. *Dialog. contr. Pelag.*
(d) *In cap.* 1. *Naum.*
(e) *Orat. in eos qui differunt baptisma.*

tus, esse frustra deflentem & inutiliter pœnitentem, non secus atque divitem, qui induebatur purpura & bysso, quemque lautus, atque delicatus omnis generis cibus alebat, materiam ignis, qui non potest extingui.

Ad II. ℟. Nazianzenum non dubitare de duratione pœnarum, sed de earum intensione, utrum scilicet Deus tanta intensione puniat peccatum, quanta meretur puniri. Cæterum S. Doctorem pro nobis stare, probat quod ait de damnatis: (a) *Hoc simul cum aliis, vel potius ante alia istud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant.*

Ad III. ℟. Ambrosium solum opponere pœnas hominum in genere spectatas pœnis Diaboli, quæ oppositio optime stat per hoc, quod pœnæ Dæmonum sunt semper æternæ, pœnæ autem hominum peccatorum aliquando sunt purgatoriæ (quæ scilicet a Deo infliguntur vel in hoc mundo vel in purgatorio), aliquando æternæ. Dives autem, de quo loquitur, non est Epulo sepultus in inferno, sed alius dives avarus (b), quem Ambrosius putat temporaliter punitum, ne in infernum caderet æterno arsurus. Et sane Ambrosius de æternitate pœnarum hæc habet: (c) *Christus . . . alienos tanquam generali damnatione impietatis adstrictos pœna damnat æterna.*

Ad IV. ℟. S. Hieronymum referre quidem dicta Origenis & locis adductis non refellere, sed ea refellere alibi, quod non est novum S. Doctori; ipse enim plures Hæreticorum errores refert, nec refellit, quos tamen postea refellit aliis in locis. Et de facto S. Doctor respondens Ruffino, qui ipsi objecerat, quod Origenem esset secutus, ait: (d) *Ego . . . sic & Origenem & Di-*

(a) *Orat.* 15. (b) *Luc.* 12.
(c) *In Psalm.* 118. *octon.* 20.
(d) *Apolog. contr. Ruffin. lib.* 1. *n.* 16.

Didymum & Apollinarium ſecutus ſum, (qui certe contraria inter ſe habent dogmata), ut fidei meæ non amitterem veritatem: & addit non eſſe cenſendum reum, *qui in uno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum*. Diſcrimen porro conſtituit S. Doctor inter peccatores fideles & infideles, quod hi ſemper puniantur æterno, non ſic illi, quorum aliqui per pœnitentiam ſanantur, & qui damnantur, forſan per ipſum mitiori quam infideles, quamvis æterna pœna puniuntur. Cum vero dicit non puniri æterno illos, qui a Deo puniti ſunt temporaliter, id non dicit de omnibus, ſed de iis tantum, qui ſe conformantes intentioni Dei malis hujus vitæ utentis, ut reducat peccatores ad bonam frugem, egerunt pœnitentiam. Cæterum S. Hieronymus alibi aperte impugnavit errorem Origeniſtarum; nam refellens quod hi dicebant, Diabolum ſcilicet in fine mundi acturum pœnitentiam & obtenturum veniam, ait: (a) *Sed hoc quia Scriptura Sacra non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam Diabolum . . . acta pœnitentia poſſe ſalvari, de noſtris mentibus abjiciamus, & ſciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus ſit Diabolo & Angelis ejus, & de his dici: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur . . . alioqnin ſi . . . longo poſt circuitu atque infinitis ſæculis omnium rerum reſtitititutio fiet . . . quæ diſtantia erit inter virginem & poſtribulum, quæ differentia erit inter Matrem Dei, & . . . . victimas libidinum publicarum? . . . . Finge quotlibet annos, & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus, ſi finis omnium ſimilis eſt, præteritum omne pro nihilo eſt, quia non quærimus quid aliquando fuerimus, ſed quid ſemper futuri ſimus.* Ex

(a) *Comment. in cap. 3. Jonæ.*

Ex his colligitur non esse orandum pro damnatis, quod etiam praxi sua docet Ecclesia. Si qui vero Patres docuerunt precibus viventium juvari damnatos, intelligendi sunt de levamine accidantali & indirecto in hoc consistente, quod viventium precibus alii viventes a peccatis resurgant & salventur, sicque non crucientur damnati ea accidentali pœna, quæ provenit ex quo crescat illorum numerus. Quod ex liberatione Trajani ab inferis precibus S. Gregorii, (a) de qua Joannes Diaconus, petitur contra hoc argumentum, inane est, cum liberatio hæc sit omnino commentitia & fabulosa, ut probat inter alios Natalis Alexander (b) in peculiari, quam de hoc instituit, dissertatione.

ARTICULUS TERTIUS.

Hactenus de æternitate pœnarum correspondentium lethalibus actualibus. Quid autem si quis nedum cum lethalibus actualibus decederet, sed etiam cum venialibus, essetne æterna quoque pœna venialibus correspondens? Pro solutione.

Noto 1. certum esse in casu venialia numquam deleri, cum in inferno nec habeatur gratia, nec retractatio peccatoris, quæ in præsenti providentia sunt necessaria ad deletionem peccatorum.

Noto 2. certum pariter esse, quod veniale per se non punitur pœna æterna, cum per se pœnam tantum temporalem mereatur. Controversia tantum est, utrum puniatur æterno per accidens, ratione scilicet status æternæ damnationis, in quo supponitur esse infectus veniali, qui status ipsi ut taliter infecto accidentalis est.

No-

(a) *In vita S. Gregorii lib. 2. cap.* 44.
(b) *Tom. 3. hist. Eccles.*

Noto 3. eandem quæstionem institui posse circa reatum pœnæ temporalis, qui remanet dimisso veniali, quæri scilicet potest, utrum, si quis decedat cum lethalibus actualibus & cum reatu pœnæ temporalis debitæ veniali jam dimisso, reatus iste per accidens inducat pœnam æternam. Quod autem statuetur pro priore hypothesi valeat etiam circa secundam.

Noto 4. divisos esse circa hoc Theologos. Affirmant communius Thomistæ cum multis aliis, negant Scotistæ cum aliis itidem multis. Cum his placet stare, adeoque sit.

ASSERTIO. *Peccatum veniale in inferno non punitur pœna æterna.*

Prob. ratione. I. veniali nec per se, nec ratione conjunctionis cum mortali in inferno debetur pœna nisi temporalis. Ergo &c. Prob. antecedens quoad secundam partem; nam de prima nulla est controversia. Veniale ratione conjunctionis cum mortali non evadit gravius, quam sit ab illo sejunctum. Ergo nec ratione coujunctionis cum mortali ipsi debetur alia pœna quam temporalis: II. admissa sententia contraria sequeretur, quod possit esse major pœna pro venialibus, quam pro mortali: nam quoad æternitatem hæc pœna esset par pœnæ mortalium: cum autem probabilius ejusdem speciei sit pœna sensibilis debita & veniali & mortali, cumque hæc sit finitæ intensionis, jam poterit per additionem graduum superari a priore. Si ergo supponamus damnatum infectum esse pluribus venialibus & uno tantum ex mortalibus & quidem ex levioribus in linea mortalis, poterit hic majore pœna puniri ob venialia, quam ob mortale. Hoc non Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus ait: (a) *Alicujus mitigari eam, cui traditus est, pœnam* (in inferno) *quis audacter dixerit? quandoquidem*

(a) *In Psal.* 105. *n.* 2.

dem unam ſtillam dives ille non meruit. Ergo nunquam minuitur pœna damnati. Minueretur autem poſita aſſertione. Ergo &c.

℟. Omiſſo quod etiam per nos ſalvatur nullam eſſe in inferno pœnarum imminutionem hoc ſenſu, quod damnati totam pœnam de facto perſolvunt, ad quam damnati ſunt, quin hæc poſſit illis nullatenus minui, unde remanet probandum, quod Deus pro veniali illos damnet ad pœnam æternam, quod nos negamus; hoc inquam omiſſo ℟. nullam eſſe imminutionem pœnarum in inferno ſpectato ut infernus eſt, ſeu quatenus eſt pœna lethalium. Non autem ſic conſideratur, cum conſideratur ut pœna venialium. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Tamdiu durat pœna, quamdiu durat culpa, cum illa ſit hujus proprietas. Sed in hypotheſi aſſertionis culpa in æternum durat. Ergo etiam pœna. Confirmatur ex quo ideo mortali debetur pœna æterna, quia in æternum durat. Cum ergo culpa venialis in hypotheſi duret in æternum, etiam huic debebitur pœna æterna. Ergo &c.

II. In inferno nec poteſt dari ſatisfactio, nec ſatiſpaſſio pro veniali: non ſatisfactio, quia damnati ſunt in termino: non ſatiſpaſſio, quia hæc ſupponit ſtatum gratiæ, alias poſſet ſatiſpati peccator per jejunia & alias afflictiones, quas ſubit, quod tamen eſt contra communem Theologorum. Et præterea pœna inferni non eſt voluntarie acceptata a damnatis, quod tamen ad ſatisfaciendum requiritur, alias homines iniquo animo ſuſtinentes ærumnas hujus vitæ ſatiſpaterentur, quod nemo dixerit. Ergo &c.

III. Culpa venialis de ſe non exigit perſeverare in æternum, & tamem per accidens in æternum perſeverat in hypotheſi aſſertionis. Ergo etiam pœna ipſi debita, quamvis de ſe non deberet eſſe æterna, talis evadit per accidens.

℟. Ad I. negando majorem; ſi enim duratio culpæ non ſit libera & demeritoria, ab illa non eſt deſumenda duratio pœnæ. Quod patet

exemplo. Supponamus Petrum committere veniale, cui sit debita pœna unius horæ in purgatorio; Si hic post commissum & non retractatum peccatum incidat in amentiam, in qua per 60. annos duret, crescetne propterea pœna illius venialis? minime sane, quia illa longa duratio venialis non fuit libera & demeritoria. Ergo a pari licet in inferno veniale æterno sit duraturum, cum tamen duratio hæc non sit libera, vel saltem non sit demeritoria, non debebit illi commensurari duratio pœnæ. Quod etiam patet a pari; nam Deus nova pœna non punit peccata, quæ jugiter committunt damnati in inferno, & hoc quia non sunt amplius in statu demerendi. Ergo similiter &c. Nec obstat, quod pœna sit veluti proprietas culpæ; quamvis enim in physicis essentia sit semper conjuncta cum proprietatibus, & viceversa, non est tamen semper ita in moralibus; nam in his potest haberi proprietas sine essentia, ut patet E. G. in reatu pœnæ, qui remanet cessante culpa, & potest haberi essentia, sine proprietate, ut patet E. G. in Matrimonio, cujus est proprietas obligatio conjugum ad convivendum, & tamen potest illo subsistente hæc cessare, ut cessat in casu adulterii alterutrius conjugis. Ad confirmationem ℟. æternam pœnam, quam subeunt damnati ob lethalia, non oriri ex æternitate, sed ex malitia illorum: quatenus scilicet sunt gravis offensa Dei infiniti, per se exigunt infinitam durationem, cum auferant ab anima principia, quibus vita ipsi tribuitur, scilicet gratiam, & impediant bonum, quod esse posset æternum, scilicet æternam vitam. Hoc non verificatur de venialibus etsi in æternum duraturis. Ergo &c.

Ad II. ℟. concedendo non posse damnatum satisfacere pro veniali, potest tamen satispati, etsi non acceptet voluntarie pœnas a Deo illi inflictas; per se enim loquendo tunc peccator satispatitur, cum tantum percipit cruciatum, quantum delectationis vetitæ percepit Hoc autem potest contingere citra voluntariam accepta-

ptationem suppliciorum. Ergo &c. Et sane in humanis dicitur satispati reus sustinens pœnam peccato debitam, etsi coactus sustineat. Absolute ergo ad satispassionem non requiritur voluntarietas: præsertim cum optime pœna respondeat culpæ per hoc, quod ut culpa fuit voluntaria peccanti & involuntaria Deo, ita pœna sit voluntaria Deo & involuntaria peccanti. In hac quidem vita satispassiones debent esse voluntariæ, sed hoc, quia in hac vita nedum debent esse satispassiones, sed etiam satisfactiones ita Deo libere statuente. Hoc non valet in inferno. Ergo &c.

Ad III. ℟. assignando disparitatem inter reatum culpæ & reatum pœnæ in ordine ad durationem; prior enim moraliter perseverat, quousque detur condonatio, alter quousque detur condigna vel satisfactio vel satispassio. In inferno autem non potest dari condonatio, quamvis possit dari satispassio. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Ad complementum tractationis de statu animarum damnatarum restat, ut aliquid dicatur de obstinatione voluntatis earum.

Certum est itaque, ut alibi dixi, damnatos esse in malo obfirmatos, & hujus obfirmationis effectus esse odium Dei & hominum, fugam a bono, & prosecutionem mali; statim enim ac ipsi damnati sunt, inflexibiliter remanent aversi a Deo, & ita ut hæc aversio omnes, ut sic dicam, informet eorum cogitationes, eorumque actus, quibus proinde semper fugiunt a Deo, & ab eo, quod Deo placet, scilicet a bono.

Hoc tamen ut melius intelligatur, distinguendæ sunt operationes bonæ naturales a supernaturalibus. Has damnati nec eliciunt, nec elicere possunt, cum careant comprincipiis supernaturalibus ad illas necessariis. Diversa autem est ratio de prioribus, quas quidem nunquam eliciunt, sed tamen absolute possent elicere.

Et sane cum damnati non amiserint naturales proprietates, quarum una est, ut possint tendere in bonum morale, non est ipsis absolute deneganda hæc potentia. Licet ergo semper sint operaturi malum, absolute tamen aliquod bonum morale possent operari.

Dixi damnatos *absolute* liberos esse ad bonum naturale; moraliter enim loquendo non sunt. Nam cum gravissima vexentur tristitia, imo desperatione ob amissam beatitudinem, cum acerbissimis crucientur conscientiæ stimulis, cum sentiant pondus manus Domini illos torquentis, cum sciant propria tormenta futura æterna, summum odium concipiunt in Deum & tale, ut, statim ac illis aliquid proponitur, quod videant Deo displicere, in illud veluti rapiantur eo simili ac majore impetu, quo habituatus in peccato, si constituatur in occasione peccandi, trahitur ad peccandum. Hæc tamen moralis necessitas non tollit, quin damnati sic agendo peccent, ut communius asserunt Theologi, quamvis peccando non demereantur, cum non sint amplius in via.

Quoad inflexibilitatem igitur voluntatis differt status damnatorum a statu Beatorum in hoc, quod Beati ita sunt addicti bono, ut absolute repugnet illos flecti ad malum; potentia enim taliter se flectendi illis aufertur a visione beatifica: & solum sunt liberi ad hoc vel illud bonum amplectendum (circa media tamen, non circa finem), vel ad amplectendum bonum, & non amplectendum. E contra damnati sunt quidem addicti malo, ita tamen, ut absolute non repugnet illos aliquod bonum operari, vel non operari malum.

Ut autem damnati non demerentur peccando, sic nec Deus illos ob hæc peccata punit pœna essentiali, sed solum accidentali consistente in quadam tristitia simili proportionaliter illi delectationi accidentali, quam percipiunt Beati, cum bonum aliquod, ad quod erant liberi, sunt operati.

Ex

Ex dictis patet quid sit sentiendum circa causam obstinationis damnatorum. Hæc scilicet est miseria illius status, in quo sunt. Non ergo est absoluta inflexibilitas voluntatis illorum, ut vult Cajetanus; hæc enim inflexibilitas gratis adstruitur: nec est denegatio auxilii divini ad pœnitentiam; hæc enim est causa, cur illos non pœniteat de peccato, non cur prosequantur peccare: nec est habitus vitiosus a Deo productus in eorum voluntate, ut placet Aureolo, aut actus odii Dei ab ipso Deo eodem modo productus, ut placet Ochamo; utrumque enim videtur divinam bonitatem dedecere.

Finis Primæ Partis Tomi Secundi.

IN ROMA

INDEX

Eorum, quæ in hac Parte prima Tomi ſecundi continentur:

Tractatus de Angelis. Pag. 3.

DISSERTATIO I. *De Angelis ſpectatis quoad naturalia.* ibid.
CAP. I. *De productione hujus univerſi.* 4.
Art. I. *De creatione in genere.* ibid.
Art. II. *De operibus, quæ a Deo in prima creatione facta dicuntur.* 9.
CAP. II. *De exiſtentia Angelorum.* 15.
Art. I. *De nomine & definitione Angeli* ibid.
Art. II. *Probatur Angelos exiſtere.* 16.
Art. III. *Examinatur quandonam Angeli cœperint exiſtere.* 18.
Art. IV. *Quo loco fuerint creati* 20.
CAP. III. *De Angelorum natura, diviſionibus & numero.* 23.
Art. I. *De Angelorum natura.* ibid.
Art. II. *De Angelorum diviſionibus.* 28.
Art. III. *De Angelorum numero.* 31.
CAP. IV. *De affectionibus Angelorum naturalibus.* 32.
Art. I. *De intellectu & ſcientia Angelorum.* ibid.
Art. II. *De Angelorum locutione.* 39.
Art. III. *De illorum voluntate, loco, motu,*

tu, duratione, ac potentia operandi extra se. 41.
DISSERTATIO II. *De Angelis spectatis quoad supernaturalia.* 43.
CAP. I. *De spectantibus supernaturaliter ad intellectum & voluntatem Angelorum,* ibid.
ART. I. *De spectantibus ad intellectum* ib.
ART. II. *De illorum gratia actuali.* 45.
ART. III. *De illorum gratia habituali.* 47.
CAP. II. *De missione Angelorum, eorumque ministeriis circa homines.* 52.
ART. I. *Afferuntur quæ generaliter spectant ad missionem Angelorum.* ibid.
ART. II. *Afferuntur quæ spectant ad custodiam, quam erga homines exercent.* 53.
DISSERTATIO III. *De peccato & pœnis Dæmonum.* 60.
CAP. I. *Expenduntur quæ spectant ad peccatum Dæmonum.* ibid.
ART. I. *Quandonam Angeli mali peccaverint.* ibid.
ART. II. *Quinam ex Angelis peccaverint.* 63.
ART. III. *Per quid peccaverint.* 66.
CAP. II. *De pœnis Dæmonum.* 72.
ART. I. *De pœna sensus & damni.* ibid.
ART. II. *De reliquis pœnis.* 75.

TRACTATUS DE HOMINE. 77.

DISSERTATIO. I. *De creatione primi hominis ejusque statu ante peccatum* ib.
CAP. I. *De creatione hominis quoad corpus.* ib.
ART. I. *Examinatur an Adam fuerit primus homo a Deo conditus.* 78.
ART. II. *Expenduntur quæ spectant ad productionem corporis tum Adami, tum Evæ.* 86.

CAP.

CAP. II. *De creatione hominis quoad animam, & de ejusdem animæ natura* 91.
Art. I. *Exponuntur quæ spectant ad creationem animæ Adami.* ibid.
Art. II. Ref*eruntur errores & opiniones circa conditionem animæ humanæ.* 92.
Art. III. *Ostenditur animam esse spiritualem.* 98.
Art. IV. *Ostenditur eam non esse portionem substantiæ divinæ.* 96.
Art. V. *Ostenditur animas non propagari ex traduce, sed immediate a Deo creari.* 98.
Art. VI. *Ostenditur animas non fuisse initio mundi omnes creatas.* 101.
Art. VII. *Ostenditur animam esse immortalem.* 104.
Art. VIII. *Ostenditur non dari transmigrationem animarum de uno corpore in aliud.* 106.
CAP. III. *De statu naturæ innocentis.* 107.
Art. I. *Exponuntur varii status, sub quibus potest considerari natura humana.* 108.
Art. II. *Exponuntur quæ spectabant ad intellectum primorum Parentum in statu innocentiæ.* 109.
Art. III. *Quæ spectabant in tali statu ad illorum voluntatem.* 111.
Art. IV. *Quæ spectabant ad justitiam originalem.* 113.
Art. V. *Quæ spectabant ad primorum parentum immortalitatem.* 116.
Art. VI. *Quæ spectabant ad filios, qui fuissent geniti in eo statu, si durasset.* 118.
Art. VII. *Quæ spectabant ad dominium, quod homini in eo statu competebat.* 119.
Art. VIII. *Quæ spectabant ad Paradisum terrestrem.* ibid.

CAP. IV. *De statu puræ naturæ.* 120.
Art. I. *Præmittuntur necessaria ad intelligentiam quæstionis.* ibid.
Art. II. *Assertio statuitur, & vindicatur.* 121.
DISSERTATIO II. *De lapsu hominis.* 128.
CAP. I. *De lapsu Adami.* ibid.
Art. I *Exponuntur quæ pertinent ad præceptum a Deo factum primis Parentibus.* ibid.
Art. II. *De illorum tentatione.* 130.
Art. III. *De illorum prævaricatione.* 131.
Art. IV. *De pœnis illis a Deo ob peccatum inflictis.* 134.
Art. V. *De illorum pœnitentia.* 136.
CAP. II. *De propagatione peccati Adami, seu de existentia & propagatione peccati originalis.* ibid.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam quæstionis.* ibid.
Art. II. *Probatur propagari in posteros Adami peccatum, seu existere & propagari peccatum originale.* 139.
Art. III. *Quomodo propagetur.* 158.
CAP. III. *In quonam sita sit quidditas seu essentia peccati originalis.* 160.
Art. I. *Afferuntur necessaria ad intelligentiam quæstionis.* ibid.
Art. II. *Examinatur sententia Illirici* 165.
Art. III. *Examinatur sententia Novatorum constituentium originale formaliter in concupiscentia.* 168.
Art. IV. *Examinatur sententia illud statuentium in sola privatione justitiæ originalis.* 174.
Art. V. *Examinatur sententia assignantium concupiscentiam tanquam originalis materiale, formale vero statuentium in privatione justitiæ originalis.* 176.

Art.

Art. VI. *Examinatur sententia statuentium originale in peccato Adami moraliter in posteris perseverante* 178.
CAP. IV. *Utrum Deipara fuerit ab originali immunis.* 184.
Art. I. *Afferuntur notanda ad intelligentiam quæstionis.* ibid.
Art. II. *Statuuntur & vindicantur assertiones.* 185.
DISSERTATIO III. *De fine mundi.* 192.
CAP. I. *De signis præcessuris finem mundi.* 193.
Art. I. *Agitur de his signis in genere.* ibid.
Art. II. *Agitur specialiter de Antichristo.* 194.
CAP. II. *De generali corporum resurrectione ac judicio finali.* 196.
Art. I. *De morte hominum, qui erunt in fine mundi.* ibid.
Art. II. De *generali corporum resurrectione.* 199.
Art. III. *De judicio finali.* 208.
CAP. III. *De fabula Millenariorum.* 209.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam questionis.* ibid.
Art. II. *Assertio statuitur & vindicatur.* 210.
DISSERTATIO IV. De *statu animarum a corporibus solutarum.* 217.
CAP. I. *De judicio particulari.* 218.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam quæstionis.* ibid.
Art. II. *Assertio statuitur & vindicatur.* ibid.
CAP. II. *De statu animarum ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu immunium ubi de honore, quo illas Ecclesiæ prosequitur.* 220.
Art. I. *De invocatione Sanctorum.* 221.
Art. II. *De illorum cultu.* 232.

Art. III. *De cultu imaginum.* 244.
Art. IV. *De cultu reliquiarum.* 260.
CAP. III. *De statu animarum solo originali maculatarum.* 265.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam questionis.* ibid.
Art. II. *Afferuntur rationes tam negantium, quam affirmantium has animas plecti pœna ignis.* 267.
CAP. IV. *De statu animarum in gratia constitutarum, sed quæ aliquo vel veniali, vel reatu pœnæ temporalis detinentur.* 283.
Art. I. *Afferuntur necessaria ad intelligentiam questionis.* ibid.
Art. II. *Statuitur catholicum dogma de existentia Purgatorii.* 284.
Art. III. *Afferuntur quæ docent Theologi de circumstantiis Purgatorii.* 294.
CAP. V. *De statu animarum lethali actuali infectarum.* 298.
Art. I. *Examinatur utrum ignis, quo cruciantur damnati, sit verus ac corporeus.* ibid.
Art. II. *De æternitate pœnarum Inferni.* 303.
Art. III. *Utrum veniale cum mortali conjunctum per accidens æterno puniatur in Inferno.* 311.
Art. IV. *De obstinatione voluntatis damnatorum.* 315.

FINIS.

MAG 2008884

Digitized by Google